VIRI

Plurimum Reverendi, Excellentißimi,

DN. GEORGII CALIXTI

SS. THEOLOGIÆ D. EIVSDEMQVE
PP. LONGE CELEBERRIMI

EXERCITATIO

DE MISSIS SOLITARIIS

CONTRA PONTIFICIOS
Instituta.

Accessit

HENRICI IVLII BLVMEN HANNOVERANI
DEFENSIO
ADVERSVS IOHANNEM MVLMANNVM
è Soc. Iesu Professorem Monasteriensem.

EXERCITATIONI CALIXTINAE
se opponentem.



FRANCOFVRTI AD MOENVM.

Impensis Iohannis Hüttneri Bibliop. 1650.



BENEVOLO LECTORI.




Am à multis annis hoc in more poſitum eſt Pontificiis ſcriptoribus, vt Proteſtantium dogmata omnia & inſtituta quæcunque à Romanæ Eccleſiæ placitis abeunt, nova, heri & nudiuſtertius nata, cerebrique noſtri mera tantum figmenta eſſe clamitent. Novatores igitur, cum quam mitiſſime loquuntur, nos identidem contemtim appellant, ipſi vero ſe Apoſtolorum ſucceſſores, & doctrinæ, quam tradiderunt, vindices magnifice gloriantur. Et quidem, ſi ſex, ſeptemve, aut vero etiam octo ſeculorum antiquitatem tantum oſtentarent, ferri poterat illa iactantia. Nemo enim eſt, quem lateat, quæ fuerit illorum temporum infelicitas, quāta barbaries, qui mores Pontificum & reliquorum Eccleſiæ præſidum, vt mirum non ſit corruptelas illis ſæculis in Eccleſiam invectas, prorſus, vti in turbata Repub. cum iis, qui ad clavum eius ſedent, publicares curæ non eſt, accidere ſolet. Tum enim peſſima inſtituta facile in conſuetudinem, immo & legem tranſeunt, & eo vſque ſæpe invaleſcunt, vt non abrogari iterum, niſi cum Reipub. ipſius inſigni mutatione poſſint. At vero cum ab ipſa vſque Apoſtolorum & martyrum Chriſti ætate, quâ Eccleſia inter mille generis tormenta excelſiſſime florebat, quâ omnium omnis ordinis Chriſtianorũ ingens erat pietas, cum ab illâ ætate ſuorum dogmatum & rituum memoriam repetant, quis ferat æquo animo tantum Eccleſiarum noſtrarum dedecus. Nobis enim militat omnis illa ætas τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν, ἣν εἶχον; Pro nobis teſtimonium dicunt. Hos arbitros, immo & iudices libenter admittimus. Prodeant antiquæ Eccleſiæ Doctores, prodeant Martyres, prodeant Confeſſores Chriſti, & ſententiam de controverſiis, quæ nos à Ro-

manâ Ecclesia dividunt, ferant. Nemo facile erit tam pertinax, qui ab his dissentire velit.

Dicant quid de illa Romani Pontificis infallibilitate, quid de summa eius & immensa potestate, cui asserendæ hodie tot ingenia exercentur, tot præla sudant, quid de indulgentiis & cultu imaginum, quid de reliquis eiusmodi controversis dogmatibus aut ipsi senserint, aut tum in Ecclesia creditum sit. Dicant, an unquam reliquis omnibus præter sacerdotem sacra facientem communione salutaris poculi fuerit interdictum, an missæ vnquam sine communicantibus fieri consueverint, an tantus vnquam altarium sacellorum & missarum fuerit numerus. Missas quidem illas privatas sive solitarias toti antiquæ Ecclesiæ fuisse incognitas superiori anno peculiari exercitatione ostenderam. Respondit quidem haud multo post Iohannes Mulmannus è Soc. Iesu Professor Monasteriensis, *quam inaniter tamen & absque fundamento*, liceat mihi vsurpare verba, quæ ille in nos dixit, præsenti hâc defensione oculis omnium subiicere libuit, cui ipsam quoque exercitationem præmittere visum fuit, vt si quis forte legere hæc volet, eo rectius judicium facere possit, vtrius causa melior & justior sit. Tuum erit Benevole & Christianissime Lector, quisquis es, si veritatem amas, animo ab omni odio & partium studio vacuo vtramque expendere.

Mihi vero, si quid erravi, si quid durius aut incogitantius scripsi, affectibus forsitan meis indulsi, ignosce. Gratias habebo, vbi meliora monueris. Vale.

AD-



ADMODVM REVERENDO, AMplißimo & erudißimo viro,

DOMINO JOHANNI,

Imperialis Cœnobii Lockumensis Abbati;

ET

AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, CLARISSIMIS & consultißimis viris,

DOMINIS COSS. ET SENATORIBVS REIPVB. HANNOVERANÆ

Dominis & Mæcenatibus meis plurimùm obſervandis

S. D.

HENRICVS IVLIVS Blume.



ADmodum reverende Domine Abba, Ampliſſimi, prudentiſſimi, clariſſimi & conſultiſſimi Domini Conſules & Senatores; Haut ita pridem eſt, cum animum ad ſacra ſtudia appuli: ex quo ſanè eiuſmodi ſæpe eum ſubierunt cogitationes, vt nonnunquam cœpti me conſilii propemodum pœnituerit. Præceptores quidem auſpicato nactus ſum, qui me ope conſilioque juvare & poſſint & velint. Nec optimi parentes in ſe vnquam deſiderari paſſi ſunt, quod è re mea meorumque ſtudiorum eſſet. Vbi vero accuratiore conſideratione omnem Theologicorum ſtudiorum apparatum, & variarum linguarum

& disciplinarum huc facientium cognitionem perpendere cœpi, fateor turbato me nonnunquam fuisse animo, quod deprehendere mihi vide-rer, nec ingenium meum tot literis & scientiis vel mente capiendis vel memoria retinendis, nec valetudinem tantis laboribus ferendis parem esse. Nihil autem magis me turbavit, quàm quod paullatim animadverterem, si quis fortè difficultates maximas improbo labore tandem superaverit, obiici deinde, quæ fructum omnem exantlatæ tantæ operæ intervertere videantur. Aut enim contentiones, quibus mutuis animi Christianorum hodie colliduntur, me verò magnopere affici & indolere non dissimulo, alendas & fovendas esse; aut exspectandas inimicitias, toleranda odia & diras improbasque calumnias. Crimen enim multis hodie habetur pacem & tranquillitatem publicam amare & desiderare, & incendio, quod prosperitatem tum Ecclesiæ tum Reipub. depascitur, pabulum malle subtrahere, quam suppeditare. Hujusmodi curæ & cogitationes me subinde solicitum tenuerunt, vt sæpe satius existimaverim nunquam, talibus præsertim temporibus & moribus, ad studium adeo arduum accessisse. Obfirmavi tamen animum, & tandem decrevi proposito constanter inhærere: an satis maturo consilio, haut certo dixerim. Mihi quidem ipsi non satisfacio; num aliis, qui mihi primum autores huius consilii, dein hortatores quoque fuerunt, ipsorum esto judicium. Quidque sit, existimavi pretium non posthabendum fore, si periculum aliquod navatæ hactenus his studiis operæ facerem, vt & præceptoribus, quorum consilio in hac illustri academia vsus fui, meum probarem studium, & Vobis maximè, quorum erga me benevolentiam à multis jam annis perspexi. Vobis igitur offero, & vestro judicio submitto hanc, quæ mihi de missis solitariis elaborata est, dissertationem. Si arriserit, est quòd gaudeam; sin minus, esto nihilominus meæ erga vos observantiæ & gratitudinis indicina. Vestra verò ea est comitas & humanitas, vt penitus confidam, haut difficulter Vos quicquid huius est operæ & juvenilis conatus, probaturos. Equidem insigni aliquo argumento testatam observantiam meam facerem, non hunc solum in me laborem alacri animo suscepi, sed & mox, quod, absque eo si fuisset, ausus, inquam, sum excellentissimi Præsidis, cui me totum debere profiteor, serias occupationes his paginis relegendis & emendandis, vt ornatiores in vestrum conspectum prodirent, interrumpere.

Quem

Quem quidem ille laborem, quo est singulari in me affectu, haut gravate suscepit, atque adeo me tot beneficiis pridem obstrictum ita porro devinxit, vt debitum exsolvere nunquam possim. Vos autem, quibus hanc meam exercitationem inscribo, probabitis si non industriam, saltem animum gratum. Quod mihi persuadet vestra tum humanitas, tum maxime jam ante laudata, & à multis annis perspecta erga me benevolentia. Quam si perpetuam præstiteritis, spei non falsus rectissime operam me collocasse putabo. Valete. Ex Acad. Iulia, VI. Eid. Maij. M. DC. XLVII.



DE

DE MISSIS SOLITARIIS CONTRA PONTIFICIOS EXERCITATIO.



Otatu digna ſunt verba Gabrielis Albaſpinæi, doctiſſimi Aurelianenſium Epiſcopi, à quibus ille ſuos Obſervationum eccleſiaſticarum libros orditur. *Multa in uſu & conſvetudine hominum poſita ſunt*, inquit, *quæ etſi à maioribus noſtris manaſſe tradantur, longo tamen temporis tractu ſunt ita mutata, aut in alium uſum translata, fere ut nihil aliud, quàm nomen ex priſtino inſtituto retineant. Inde verò magni errores conſecuti ſunt. nam harum rerum, ſi fortè nunc incidat mentio, eas non uti fuere, ſed, quales hodie ante oculos noſtros verſantur, concipimus, atq; de iis diſſerimus. Animus enim ſe à conſvetudine rerum, quas videt, quas cernit, quibus utitur, non patitur abduci, neq; poteſt mente complecti earum, quarum nomen uſq; adhuc permanſit, vim quoque & naturam non permanſiſſe.*

II. Hæc doctiſſimus præſul, cujus ſententiæ qui accedere gravatur, expendat ipſe ſingula, & veram eſſe comperiet. Multis quidem exemplis id jam oſtendere mei non eſt inſtituti. Adminiſtrandi Euchariſtiam modus, qualis hodie Romanæ Eccleſiæ in uſu eſt, quantum abierit ab antiquo in primâ Eccleſiâ uſurpato, etſi complura ſunt quæ arguant & evincant, nobis tamen ſolas miſſas ſolitarias, quas vocant, ſive privatas in exemplum adducere & examinare animus eſt. Accidit enim hîc pleriſque in Romanâ Eccleſiâ, quod Albaſpinæus notat, ut miſſas veterum non uti fuere, ſed quales hodie ante oculos verſantur, concipiant. Miſſæ verò ſolitariæ, ubi primùm frequentari cœptæ in Eccleſiâ, non omnibus probatæ ſunt. Vicit tamen ſuperſtitio, quæ multorum animos paullatim obſederat, ne abolerentur. Sumtis incrementis, omnia ſacella, oratoria, omnes baſilicarum angulos pervagatæ ſunt, donec tandem poſt initium ſuperioris ſeculi, quum ab hac aliiſque

corruptelis religio expurgari cœpisset, præeunte B. Luthero, è nostris Ecclesiis penitus sublatæ sunt.

III. Qui Romanæ Ecclesiæ dogmata propugnabant, Missas solitarias pleriq; quidem defendebant, neq; tamē deerant, qui abrogandas potiùs censerent, salvâ adhuc omnibus aliquâ libertate eloquendi, quod sentirent. Interea Tridenti à Pontifice Romano indicitur concilium, conveniunt undiq; Episcopi, approbaturi fidei decreta, quæ Româ mittebantur. Remediū dissidiis sopiendis à concilio sperabatur: sed frustra. Vuln⁹, cujus per colloquia mitigandi spes aliquando affulserat, promulgatis Tridentinorū Patrum decretis propemodum immedicabile redditur. Hæc enim ubi prodiere, non ausi sunt amplius, si qui essent pacis amatiores, consilia moderatiora vel scriptis, vel vivâ voce proponere. Qui verò conciliū anteverterunt, moderatiores & mitiores tum in hac ipsâ, tum in aliis etiam controversiis sæpe sectātur sententias. At qui post novam illam regulam Tridenti procusam, & à Pio IV. in bullâ professionis fidei in compendium redactam, ad sacras controversias tractandas animum applicuerunt, à præscriptâ normâ discedere ausi non sunt, ne fulmine anathematum prosternerentur.

IV. De missis igitur solitariis, quæ partem præcipuam cultus divini in Romanâ ecclesiâ faciunt, & à synodo Tridentinâ confirmatæ & probatæ sunt, an rectè inter corruptelas, quas complures in Ecclesiam irrepsisse certū est, censeri possint, dispiciamus. Durum fortè fuerit eum cultum erroris arguere, quem tota Romana ecclesia per tot jam secula summâ animi veneratione amplectitur. Neq; tamen periculū est, ne in devia abripiamur, *si nostram*
Commonit. *sententiam divinæ legis autoritate, tum deinde Ecclesiæ catholicæ traditione muniamus*;
cap. 1. *& quicquid non unus aut duo tantùm magistri probabiles*, sive probi & probati, *sed*
Cap. 5. *omnes pariter uno eodemq; consensu apertè frequenter, perseveranter, tenuerunt, scripserunt, docuerunt, id nobis quoq; intelligamus absq; ullâ dubitatione credendum*, ut Vincentius ait. Neq; periculum est, ut in Romanam ecclesiam injurij videamur, si quid Servator ipse instituerit & mandarit, quid Apostoli, quid martyres Christi, quid sancti Patres & Doctores docuerint & egerint, quid tota denique prima & purissima Ecclesia observarit, perpendamus, & nobis imitandum proponamus.

V. Quia verò vox missæ privatæ non uno modo accipitur, quid sibi per missas privatas velint Romanæ ecclesiæ doctores, indagādum est. Quorum autem potiùs afferamus verba, quàm patrum Tridentinorum? quorum
Sess. 22. cap. 5. hic est Canon: *Si quis dixerit missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter com-*
can. 8. *municat, illicitas esse, ideoq; abrogandas, anathema sit.* Iidem pluribus verbis jam
Cap. 6. ante monuerant, *non esse has missas ut privatas & illicitas damnandas.* Has enim

missas

missas privatas alii vocant, nos rectiùs solitarias cum Cassandro dici oportere judicamus, quum sæpissimè & sint soli presbyteri, & soli sumant. Hanc enim formalem statuimus missæ solitariæ rationem, ut is qui consecrat, solus fiat corporis & sanguinis Domini particeps. Quod ubi fit, fit autem hoc frequentissimè in Ecclesiâ Romanâ, missa solitaria est & dicitur, etiamsi sacerdotem magnus numerus spectatorum circumstet. Consult.

VI. Bellarminus à loco, tempore, fine, paucitate eorum qui intersunt, missas privatas appellari posse affirmat. Nos ejusmodi rationes non moramur. De missis, quæ in locis & domibus privatis fiunt, disputent Pontificii cum Genevensibus, & aliis paucis pertinacioribus Reformatis, qui eas hactenus improbarunt. Nos, qui sæpe Eucharistiam in ædibus privatis celebramus, ne ægri hoc necessario viatico defraudentur, missas hoc sensu privatas rejicere non possumus, præsertim quum & optimos quosdam & antiquos Ecclesiæ doctores, quod id è re esse videretur, idem factitasse sciamus. Nec Reformati omnes adhuc tam rigidi. In Helvetiâ enim & Angliâ aliter obtinet. Nec ignoramus Philippum Ludovicum comitem Hanoviæ anno CIↃ.IↃ.CXII. jam morti vicinum, quum petiisset, corporis & sanguinis Dominici participem factum, teste Guilielmo Baudartio. Quotidianas missas, quis sit tam degener, qui improbare ausit, quum in primâ illâ Ecclesiâ fideles hoc quotidiano cibo se ad carnificum ictus forti animo excipiendos muniverint. De missis, quæ pro particulari aliquo homine, vel negotio, vel necessitate celebrantur, quid sentiendum, non est hujus loci disquirere. Illud silendum non est, missas plerasque solitarias, quæ in Romanâ ecclesiâ fiunt, esse etiam privatas eo nomine, quo privatas appellat Bellarminus. Celebrantur enim plerumque in locis privatis, oratoriis, sacellis, diebus item profestis, & denique pro negotio etiam sæpe privato & particulari.

Lib. 2. de missa cap. 9.

Casaub. in Resp. ad Epistolam Card. Peronii.

VII. In nostris Ecclesiis quotquot celebrantur missæ, solennes omnes sunt & publicæ, nisi suprema necessitas ægrum, coacto aliquo cœtu in domo privatâ, corpus & sanguinem Domini sumere cogat. In veteri Ecclesiâ quum religio Christiana sumpsisset per totum orbem incrementa, missæ solennes erant, quæ diebus festis & dominicis, item, quæ sabbatis in Ecclesiâ orientali, & à Paschatos festo ad Pentecosten usq; diebus singulis habebantur. Basilius quater singulis septimanis ait habitas συνάξεις. In his totius populi conventibus solennis administratio cœnæ Dominicæ celebrabatur, in quâ omnes illos, quos vox diaconi è templo non ejecerat, ad percipiendum corpus & sanguinem Domini accedere moris erat. Has publicas etiam vocant sequioris ævi scriptores, Parochiales appellant hodie,

Epistola ad Cæsariam Patritiam.

die, etsi hoc tempore sæpissimè missa parochialis solitaria sit. Quia verò olim Christianos nonnullos corporis dominici quotidie participes factos constat, nec tamen publicæ synaxes singulis diebus habitæ, haud forsitan abs re fuerit, missas illas quotidianas privatas & non solennes appellare, non equidem, quòd in iis nulla facta fuerit mysteriorum dispensatio, sed quòd publicus populi conventus non coactus. Poterant etiam fideles quotidie Eucharistiæ participes fieri, quando moris erat secum Eucharistiam domum deportare, & manè sumere. Hoc enim utitur Tertullianus argumento, ut uxorem à matrimonio cum gentili ineundo deterreat, quòd is sit deprehensurus, quid illa secretò ante omnem cibum gustet. Si quæ igitur quotidie missæ celebratæ, privatæ illæ fuerint, si cum solennibus compares. Dein quum posterioribus seculis in plerorumque animis ardor pietatis refrixisset, placuit tamen non esse desistendum à mysteriis quotidie peragendis, sed jugiter memoriam sacrificij in cruce oblati celebrandam, cui sacro, quum fideles laici non ita frequenter adessent, soli plerumque clerici intererant, & sanctam Eucharistiam sumebant. In hunc censum non solennium & privatarum missarum referendæ etiam eæ, quæ in exsequijs defunctorum, vel subitâ exigente necessitate, (qualis illa apud Augustinum memorantem sacrificium adpellendos ex ædibus dæmones oblatum) quæque in monasteriis celebratæ sunt. Hæ omnes, quia non solennes, neque publicè vel in generali populi conventu habitæ, privatæ appellari possunt. Si enim priores publicæ sunt, quid vetat has vocare privatas, non ideo, quod nulli adfuerint, qui participarent; id enim multis à Christo nato seculis factum non est: sed quia missæ hæ non habitæ iis diebus, quibus populi publicus conventus cogebatur. Synodus Matisconensis secunda decernit, *ut nullus presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut missas privatis festisq; diebus concelebrare præsumat.* Nihil hîc aliud, missas privatis diebus celebrare, quàm missas, quas nos dicimus privatas agere. Meminit etiam Albinus Alcuinus missæ publicæ.

Cap. 5.

Can. 6.

De divinis officiis cap. 25.

IIX. Constat, sequiore licet ævo, in monasteriis & amplioribus ecclesiis, præsertim cathedralibus, quotidianas missas celebratas fuisse, sed languescente populi devotione, & communione rarescente, communicationem saltem presbyteri & ministrorum, potissimùm verò diaconi & subdiaconi, retentam esse. Pauca quædam Cassandri verba adscribere libet, quæ nostris dictis fidem faciant. Ita autem inquit: *Formam diaconi & subdiaconi communicandi diu Ecclesia Gallicana & occidentales retinuerunt, ut multis testimoniis probari posit, ex quibus unum aut alterum subiiciam. Martinus enim*

Præfat. in Ord. Romanum.

Episco-

Episcopus, autor Homeliæ, quæ de viduâ Sareptanâ inscribitur, ex eo, quòd *Anacletus suis decretis præcipiat, ut Episcopus solenni die sacrificans, septem, quinque, aut tres ad minimum secum diacones habeat, morem hunc in Ecclesiâ inolevisse testatur, ut omnes ministri altaris communicent, sc. sacerdos, diaconus, subdiaconus. Adhæc Ivo de divinis officiis, Sacerdos, inquit, dominicum corpus consecratum in tres partes dividit, quarum unam immittit calici, alteram diaconus & subdiaconus communicant.* Hæc Cassander, cujus autoritati si quis refragari velit, plura sunt antiquorum testimonia, quibus nostram sententiam confirmemus. Theodulphus Abbas primùm Floriacensis, pòst Aurelianensis Episcopus, in Epistolâ ad Fratres & compresbyteros suos Aurelianensis parochiæ sacerdotes, quam recitat Baronius, hoc dat mandatum suis compresbyteris : *Quando more solito ad synodum convenitis, vestimenta & libros & vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium & iniunctum officium peragatis, vobiscum deferte: nec non duos aut tres clericos, cum quibus missarum solennia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur, quàm diligenter, quàm studiose servitium Dei peragatis.* Hos clericos cum presbytero panem & vinum benedictum sumsisse vel inde constat, quod idem Theodulphus ait : *Religiosos quoscunque sanctè viventes pene omni die ad sacramentum corporis & sanguinis Domini accedere.* Bertramus sæpius repetit, quotidie Christum immolari, quotidie Eucharistiam celebrari. *Exemplum nobis*, inquit, *passionis reliquit, quod in mysterio dominici corporis & sanguinis quotidie credentibus præsentatur, ut, quisquis ad illud accesserit, noverit se passionibus eius sociari debere, quarum imaginem in sacris mysteriis præstolatur.* Quotidie inquit Bertramus mysterium celebrari, sed ut credentes participent. Paschasius Ratbertus in verba Institutionis Matth. xxvi. *Sublima sunt & divina in huiusmodi rebus sacramenta, quæ pro salute humani generis aguntur, & quotidie mysticè in hoc mysterio, ut tradita sunt Apostolis, celebrantur.* Quomodo verò Apostolis tradita sint, ostendit alibi, quum ait: *Christus solus frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens, accipite & bibite ex hoc omnes tam ministri, quàm & reliqui credentes.* Sunt hæc verba Paschasii, tum missis solitariis tum quàm maximè communioni sub unâ adversa. Clariora sunt, quæ Micrologus habet: *Ad quotidiana missarum solennia non generaliter ab omnibus, sed religiosis convenitur, qui plus spiritualibus negotiis, quàm secularibus invigilant, qui reliqua, dum licet, officia quotidie frequentant.* Huc etiam pertinent verba, quæ recitat Cassander ex libro quodam vetusto de divinis officiis : *In diebus profestis ministri & votis adstricti intererant missæ.* Statutis etiam & præceptis eò adactos clericos innuit præceptum, quod exstat apud Regionem libro primo de disciplinâ Ecclesiasticâ ; *Ut presbyter vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus,*

Anno 835. capitulo 4.

capit. 44.

De corp. & Sang. Domini cap. 15.

Lib. de Ecclesiasticis observationibus cap. 46.

In Liturgicis.

clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castella, aut vici, vel villa, ad Ecclesiam ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus non emendaverit. Ex his veterum dictis constare potest, quid missæ privatæ apud illos fuerint, neque tamen negaverim, nullas eo tempore, quo hi vixerunt scriptores, missas solitarias habitas. Altas enim jam in animis hominum superstitio, cui promovendæ missæ solitariæ apprimè serviunt, radices egerat.

IX. Walafridus Strabo, quum exposuisset eorum sententias, quorum alii rariùs, alii crebriùs, alii quotidie communicandum suadebant, ipse in hanc it sententiam, ut *omnes Christiani, maximè clerici, per singulos dies sacris occupentur officiis, imitantes primitivæ Ecclesiæ studium salutare.* Et fuisse, qui id, quod Walafridus suadet, re ipsâ agerent, ipse testis est, quum ait: *Sunt quidam, qui semel in die communicare, etiamsi pluribus interfuerint missis, pro dignitate sacramentorum sufficere credunt. Sunt verò alii, qui sicut in unâ, sic in omnibus, quibus adfuerunt missis, in die communicare volunt.* Amalarius Trevirensis Episcopus, celebris rituum Ecclesiasticorum sub Ludovico Imp. scriptor, meminit & ipse communicationis diaconi & subdiaconi. Et alibi ait: *sine sacerdote & diacono rite immolatio altaris celebrari non potest. Ut sine retractatione sacerdos vigilet circa hostias, necessarius est diaconus ad ministrandum ea, quæ necessaria sunt sacerdoti.* Diaconum verò illum, quem memorat, communicasse vel id argumento est, quòd libro tertio idem Amalarius tradit, ut institutioni divinæ satisfiat, corpus & sanguinem Christi distribui. Cum his, quæ Amalarius habet, apprimè conveniunt, quæ tradit doctissimus Cardinalis Nicolaus Cusanus, qui rudiori illo seculo ultra vulgus doctorum sapuit. Hæc autem ejus sunt verba: *Hoc singulariter attendendum est, quòd sacerdotes nunquam sine diacono celebrabant, & in omni missâ diaconus de manu sacerdotis accepit Eucharistiam sub specie panis, & sacerdos de manu diaconi calicem.* Hæc Nicolaus Cusanus. Quæ etiam ipsa confirmantur illis, quæ fusè ex libro, cui titulus, *Exordium Cistertiensis cœnobii*, describit Cassander, quem adeat, qui volet. Hæc forma celebrandi cum diacono & subdiacono, diu mansit in ecclesiâ, in iis præsertim missis, quæ in choro peraguntur. Sic enim in Synodo provinciali Coloniensi, anno M. CC. LX. habitâ, statuitur cap. VII *Præcipimus, ut divinum officium nunquam absque ordine ministrorum, sacerdoti ministrare debentium, videlicet diaconi & subdiaconi, in choro decantetur. Et ipsi ministri, in ipso sacræ missæ officio, absque indumentis suo ordini deputatis, aliquatenus ministrare, nec ante finem missæ recedere audeant.* Ego quidem jam satis id manifestum puto, quum quotidie frequentarent sacra officia clerici, & diebus tantùm dominicis

[Margin notes: Cap. 20. de rebus Ecclesiasticis. — Cap. 22. — Lib. 3. de Officiis Ecclesiasticis. — Lib. II. c. 6. — Ad clerum & literat. Bohe: — In liturgicis, fol. 90.]

nicis & festis haberetur generalis populi conventus, hac occasione cœpisse distingui missas publicas & solennes à privatis, quas ferè soli celebrarent clerici, retentâ nihilominus communione. Hoc discrimen inter publicas & privatas missas observandum est, ne solitariæ cum privatis confundantur, & quum impugnantur solitariæ, eâdem operâ omnes privatæ improbari existimentur. Interdum tamen privatæ quum dicuntur, solitariæ intelliguntur, ut quum affirmat Augustana confessio, *desiisse apud nos privatas Missas* ; *& veteres ante Gregorium non fecisse mentionem privatæ Missæ*, *Fallitur Confessio*, ait Cassander Consultatione suâ, *nisi fortassis nomine privatæ Missæ solitariam intelligat : quæ tamen nescio*, inquit, *an ætate Gregorij in usu fuerit*. Confessio omnino sub nomine privatæ solitariam intelligit : aliter enim privatas apud nos desiisse non assereret. Sed nos vitandæ ambiguitatis ergo solitarias potiùs, quàm privatas appellabimus. Art. 3. abus. mutat.

X. Quod Gregorium attinet, facessit nobis negotium cap. *Et hoc attendendum*, de cons. dist. primâ, quod Gratianus tribuit Augustino, & cum Gratiano Caspar Casalius. Alij tribuunt Gregorio, quibus accedunt Bellarminus, & Cassander in Liturgicis, qui non hoc solùm caput, sed & alterum, in quo solitarii consecratores perstringuntur, ex capitulari Gregorii se hausisse affirmat. Claudius Espensæus Gregorii ne an Augustini sit, dubius est. Id constat, quo hoc capitulare scriptum fuit tempore, missas solitarias cœpisse celebrari. Hæc autem sunt verba capituli : *Et hoc attendendum est, ut missæ peculiares, quæ per dies solennes à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis missarum solennibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur*. His subjungit Cassander : *Et Sacerdotes per altaria nequaquam missas, nisi tam cautè, ante secundam horam celebrent, ut populus à publicis solennibus non abstrahatur, sed sive sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus in unum ad publicam missarum celebrationem conveniant*. Taceo, quòd capitulare quodpiam à B. Gregorio scriptum fuisse, nemo veterum tradat. Hoc sanè non seculo sexto, sed nono demum, quo jam missæ solitariæ invalescebant, editum est. Sunt enim hæc capitula & totum capitulare Theodulphi Aurelianensis Episcopi, cujus Epistola ad compresbyteros Aurelianensis parochiæ scripta, & in complura capitula divisa, exstat apud Baronium. Septimum & XLV. horum capitulorum, cum septimo & XLV. à Cassandro ex capitulari Gregorii citatis penitus conveniunt, ut dubium nullum sit, non Gregorii vel Augustini, sed hujus Theodulphi esse, ut nobis proinde non sit admodùm hâc de re laborandum. Accedit, quod apud Cardinalem Baronium non legitur *p altaria*, sed *p oratoria*, quæ Theodulphi ætate magno numero exstruebãtur, quum altaria non ita frequẽtia essent. Verisimile autem est, quum

Lib. 2. c. 15. lib. 2. de missa c. 9.

De missâ publicâ & privatâ.

An. 835.

Gre-

Gregorius Sacramentarii & Antiphonarii in Ecclesiâ occidentali autor esset, huic Capitulari à quopiam ipsius nomen præfixum fuisse, ut majoris esset authoritatis. Repetunt hoc capitulum iisdem fere verbis Moguntinum & Treverense Concilia, anno M. D. XLIX. habita, quæ severè interdicunt, *ne speciales missæ, in sacris altaribus, in eodem templo celebrentur sub solenni missâ, vel sub concionem: sed ut vel præcedant, vel in aliud tempus differantur, ne populus à solenni sacro abstrahatur.*

XI. Dictum quoque superiùs, missas in monasteriis primitus celebratas, non fuisse solitarias, sed potiùs privatas. Etsi enim deinceps missæ solitariæ in monasteriis invaluerunt, istius tamen ætatis monachi non quidem populo, sibi tamen & suis, & proinde privatas celebrarunt. Gregorius enim primus sive magnus in monasteriis missas publicas fieri sæpe vetuit.
Lib. 4. Ep. 43. Hæc videlicet ejus sunt verba ad Castorium Episcopum Ariminensem: *Missas publicas in monasterio sanctorum Andreæ & Thomæ, per Episcopum fieri omnimodò prohibemus, ne in servorum Dei secessibus, popularibus occasio præbeatur ulla conventi-*
Lib. 5. Ep. 46. *bus.* Felicem quoque Episcopum Pisaurensem monet, ne publicas ampliùs in monasterio peragat missas; idque in compluribus aliis epistolis seriò & frequenter inculcat. Non tamen, quia publicas, sive ad quas concursus populi fieret, in monasteriis celebrari noluit, propterea existimandum est solitarias fuisse celebratas. Præstò erant, qui sumerent panem & vinum benedictum, illi ipsi monachi, & unà cum illis clerici, sive etiam ex illis in clericos promoti. Hos igitur monachos missarum solitariarum autores non esse, facilè cum Espensæo concesserim. Immunes quoque ab hac culpâ Orientales, sive Cœnobitæ, sive Anachoretæ. Ab iis enim missas solitarias celebratas fuisse nemo veterum memorat. Chrysostomus certè rarò
Historiæ religiosæ cap. 20. illos ad Ecclesiam, rarò ad τὴν ἁγίαν τράπεζαν accessisse affirmat. Marin Eremitam intra complures annos non vidisse celebratum sacrificium, Theo-
Cap. 7. doretus autor est. Palladius in historiâ Lausiacâ testis est, monachos in monte Nitriæ sub Arsisio, (ita enim edidit Heribertus Rosvveidus, non Arsacio abbate, magni Antonii coævo,) *sabbato solùm & dominico ad Ecclesiam venire solitos. Esse autem octo presbyteros,* addit Palladius, *qui præsint illi Ecclesiæ, quorum primus quamdiu vivat, nullum alium offerre, nec judicare, nec sermonem habere, sed tacitè solum cum eo sedere.* Sed hi, de quibus Palladio sermo est, ex cœnobitis, uti vocant, fuerunt. Anachoretæ verò, quòd à sacrâ mensâ diutissimè abstinuerint, testatur etiam Anastasius Nicænus, Responsioni-
Quæst. 2. bus ad orthodoxorum interrogationes, ubi narrat, quæsitum esse ex anachoreta, *cur tam constanter pergat à sanctâ ecclesiâ separatus esse, & abstinere à san-*

ctâ synaxi. Tum illum respondisse, omnes synaxes & publicas liturgias ideo fieri, ut homo expurgetur à suis peccatis, & Deus in eo habitet. Si ergo homo factus sit templum Dei animatum, animam, quæ Deum gestet, recedere ab omni desiderio ecclesiarum, & synaxeon, & festorum humanorum. Ita quidem de illo Anastasius. Quæcunque autem causa fuerit, cur à sacrâ mensâ illi abstinuerint, id constat, nec ab orientalibus, neque primis occidentalibus monachis ἀκοινωνήτως missas celebratas. Porrò quod in monachorum claustris fieri vetuit Gregorius, id quoque in monasteriis devotarum Deo virginum agi prohibuit. Oratorium ancillarum Dei vocat, quod absque missis publicis consecrari jubet. In monasteriis itaque quoties necesse esset, à presbyteris vicinarum ecclesiarum missas celebrari moris erat. Quod nos docet idem Gregorius epistolâ ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum. Canon quoque XXVII. synodi Moguntinæ, habitæ anno DCCC XIII, monet presbyteros, ut peractis solennibus properè ad ecclesias suas redeant, neque moras ullas ibi nectant. Idem sancit Arelatensis can. VII. Epaunensis can. XXXIIX. Turonensis III. can. XXXIX. Cabilonensis can. LX. Hodie Romana ecclesia à veteribus institutis longissimè recessit. Missæ, quas legitimas Walafridus & Humbertus appellant, raræ admodum; solitariæ verò ingenti numero, non modò in monasteriis, sed passim in ecclesiis cathedralibus, collegiatis & parochialibus celebrantur. Veteris autem communicandi ritus argumentum in Benedictinorum monasteriis reliquum est, quum triduo illo ante Pascha singulis annis, ministrante Abbate, cæteri omnes communicant. Sunt etiam in promtu antiqua statuta monastica, quæ sanciunt, ut solus abbas dominicis festisq; diebus offerat, & cæteri fratres omnes ad dominicalem missam communicent. Sed hæc jampridem desierunt. Neque forsitan magnopere opus plura afferre testimonia, quæ primas monasticas missas non fuisse solitarias ostendant. Hoc jam ex his constare potest, quæ missa solennis apud veteres fuerit, quæ privata dici possit, quæ denique solitaria. Sunt qui missam solitariam iterum duplicem faciunt, ut alia sit penitus solitaria, alia verò, cui diaconus & subdiaconus adsint, intersit etiam frequentia aliqua populi. Si lectiones epistolicæ & evangelicæ altâ voce recitantur, & accinit chorus, cantata Missa dici solet, de quâ Maurus Antonius Berarducius: *Missa cantata magis proficua est illi, pro quo dicitur, quàm missa privata, tam in ratione impetrationis, ut est missa votiva, pro devotione alicujus sancti, vel similis, quàm in ratione satisfactionis, ut est missa pro defunctis. Valor namque missæ non est semper æqualis, sed tantò plus crescit, quantò plures sunt offerentes secundarij. Unde non solùm celebrans, sed totus chorus, & ministri altaris operantur in illo sacrificio.* Hæc ille.

Lib. 7. ep. 6. ad Venantium Lunensem Episcopum.

Lib. 2. ep. 58.

Cass. Consult. de M. solitar.

MS. in Bibl. Juliâ.

XII. Proximum jam eſt, ut de his ipſis miſſis ſolitariis, quæ communicantibus carent, quo tempore cœperint, nonnulla dicantur. Plerique ex Romanæ eccleſiæ doctoribus, ut juſtam noſtrorum indignationem eludant, quum in otioſas illas & ſolitarias miſſarum demurmurationes invehuntur, rejectâ culpâ in plebis ſocordiam & negligentiam, crimen omne à ſacerdotali ordine amoliri laborant. *Quòd nunc ſæpe ſacerdos ſolus victimam edat, non eſt culpa ſacerdotum, aut natura ſacrificii,* inquit Bellarminus, *ſed populi* Lib. 2. de miſſa, c. 10. *negligentia.* Neq; verò de nihilo ſunt querelæ, quas de incuriâ plebis & contemtu divinorum myſteriorum ingeminant. Quis neſcit, quàm graviter, quàm frequenter vel ſuo jam tempore Chryſoſtomus hanc populi ſocordiam perſtrinxerit. Exſtant hodie eum vehementes illius declamationes, quibus populo torporem excutere conatus eſt. Imò eò tandem res devenit, ut ſoli ferme clerici & miniſtri cum presbytero τῆς φρικωδεστάτης θυσίας participes fierent. Quum autem nec Chryſoſtomi ætate, nec poſt eam aliquamdiu, ardore illo ſumendi corpus & ſanguinem Domini in plerorumq; animis langueſcente, miſſas ἀκοινωνήτους vel publicè, vel intra privatos parietes alicubi habitas, probare hactenus potuerint Pontificii, à vero videtur alienum eſſe, omnem culpam in plebis deſidiam trāsferre. Cur enim, qui miſſas ſolitarias propugnant, & tamen Chryſoſtomum ſemper in ore habent, non adhibent miſſis ſuis miniſtros, diaconum & ſubdiaconum, qui cum presbytero τὰ ἀχραελαθηπτντα percipiant? Hoc utique ſanctiſſimum illum Eccleſiæ Doctorem & feciſſe, & fieri voluiſſe, docet nos, quæ ſub ejus nomine circumfertur, Liturgia. Ejuſmodi privatam communionem miniſtrorum & presbyteri, etiamſi populus non niſi ſpectator adſtaret, mediâ & declinante ætate paullatim obtinuiſſe, non negamus. Cur, ſi publicam populi non potuerunt, hanc ſaltem non revocarunt Tridentini patres, qui ta- Seſſ. 22. c. 6. men in votis ſibi eſſe ajunt, *ut in ſingulis miſſis fideles aſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicent.* Irritum ſanè votum in tantā miſſificantium & miſſarum multitudine, quæ ubi in immenſum numerum excrevit, ſolitarias invexit. Conſiderentur, quæſo, tot ſacella, oratoria, clauſtra, monaſteria, altaria, quorū numerus iniri vix poteſt. Quum ad ſingula frequenter officia pro vivis & pro defunctis, (errores enim de purgatorio, & liberandis ex purgatorio per miſſas animabus, radices jam egerant,) celebrarentur, nec populus, ut intereſſet, nedum ut cōmunicaret, invitaretur aut præpararetur, fieri aliter non poterat, quin ſæpiſſimè presbyter ſolus ſine cœtu & communicantibus totum perageret. Quantum igitur conjecturâ aſſequi licet, probabile eſt cœpiſſe miſſas ſolitarias, quando præter eccleſias cathedrales & parochiales monaſteria, oratoria, ſacella, altaria, ingenti

ingenti numero exstrui cœpta, adeò ut hoc immoderatum studium edictis regiis, & canonibus conciliorum coërceri necesse esset. Incidunt autem pleraque, quæ missis solitarijs serviunt, in seculum tum octavum, tum nonum. Claudio Espensæo, temporis articulum, quo communicari desitum, digito velut subindicare perdifficile videtur. Is tamen forsitan non multùm à vero abluserit, qui initia missarum solitariarum in tempus contulerit, quo quæstiones cœperunt agitari, an fas & æquum sit, solum sacerdotem divina officia celebrare, nullis videlicet præsentibus, quibus dicat, *Pax vobis*, *Dominus vobiscū*, nullis qui respondeant, *Et cum spiritu tuo*; ex quibus verbis salutatoriis & resalutatoriis, actionem Eucharistiæ publicam & solēnem fuisse, constare ait Espensæus. In tempus, inquam, motarum harum quæstionum, qui prima solitariarum missarum initia rejecerit, haud longè à scopo aberrare videbitur. Neque enim verisimile, si antiquiores fuerint, dubia ista alto ab omnibus priorum temporum scriptoribus & conciliis silentio præteriri potuisse. Nam quæ Pontificii Doctores pro missarum privatarum usu & vetustate afferunt ea, vel ipsa toties laudato Espensæo teste, *probabilia quidem sunt, sed minùs aperta. Nec enim*, inquit, *qui oblatum dicunt, communicatum negant, etiamsi taceant*. Nostra autem argumenta, quibus inolitas has corruptelas oppugnatum imus, vel omnia, vel pleraque saltem plana sunt & perspicua.

XIII. Anno ultimo optimi & verè Magni Imperatoris Caroli, diversa sunt in Gallis, Arelati, Turonibus & Cabilone, tum etiam in Germaniâ Moguntiæ habita concilia, quæ de rebus ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus non paucos edidere canones. Moguntiacum canone XLIII. ita decernit: *Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel Sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, quum alius nemo cum eo sit*? Exstat idē canon in Capitulari Caroli M. & Ludovici Pii, quod Ansegisus abbas & Benedictus Levita compilarunt. Timidiùs paulò agit hoc concilium de consvetudine illâ, quòd forsitan in Germaniâ superstitiosos aliquos & potentes invenissent missæ solitariæ patronos. In cæteris conciliis, quæ eodem anno in Galliis fuere coacta, nihil quidem, quod huc pertineat, constitutum legitur. Eodem tamen anno Remensis quoque synodus habita est, quæ canones condidit XLIV: quorum argumenta in tomis conciliorum exstant. Sextus est: *Missarum ibi discussa est ratio, ut presbyteri minùs antea scientes intelligerent, qualiter missarum solennia deinceps digniùs celebrare deberent*. Acriùs & liberiùs in missas solitarias invehitur Conciliū, quod Parisiis an. DCCC. XXXIX. Imperante Ludovico Pio, con-

Lib. 5. c. 95.

gregatum est, quo Episcopi ex diœcesi Durocortensi, Turonicâ, Senonicâ & Rhotomagicâ convenerunt, ut habetur in Præfatione. Canon XLIIX. Libri primi, dignus est, qui adscribatur. *Irrepsit in plerisque locis, partim incuriâ, partim avaritiâ, reprehensibilis usus & congruâ emendatione dignus, eò quòd nonnulli presbyterorum, sine ministris missarum solennia frequentent. Quod nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, nec Apostoli Pauli declarant documenta, nec etiam in ipsis actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere, ullo modo invenitur. Unde conveniendus, imò interrogandus nobis videtur hujusmodi corporis & sanguinis domini solitarius consecrator, quibus dicat, Dominus vobiscum, & à quo illi respondeatur, Et cum Spiritu tuo, vel pro quibus supplicando Domino inter cætera, Memento Domine & omnium circumstantium, quum nullus circumstet, dicit. Quæ consvetudo, quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ autoritati refragatur, & tanto mysterio dehonorationem quandam irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhiberetur provideatq; unusquisque Episcoporum, ne in suâ parochiâ quisquam presbyterorum missam solus celebrare præsumat, & si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, canonicæ correctioni subjaceat.* Quid verò clariùs aut rectiùs contra ἀκοινωνήτυς missis dici & decerni poterat? Reprehensibilem appellat usum, qui in plerisque locis irrepserit, partim incuriâ, partim avaritiâ. Magnum scilicet operæ pretium faciunt magni in Romanâ ecclesiâ viri, qui consvetudinem propugnant, quam per incuriam & avaritiam in ecclesiam invectam fuisse, jam ante annos octingentos conqueruntur integra concilia. Nec est, quod quis cum Bellarmino objiciat, canones hos hoc non velle, ut adsint, qui communicent, sed tantùm, ut adsint qui respondeant. Sed hæc mera sunt subterfugia. Cur enim concilium ad institutionem Servatoris nostri, cur ad Apostoli Pauli documenta, & autoritatem Apostolicam & Ecclesiasticam provocat, si hoc solùm voluit, æquum esse, ut semper adsint qui respondeant. Neque enim in Ecclesiâ Apostolicâ, & quæ illam sequuta est, martyrum Christi, divina mysteria hoc ordine celebrata, ut solus sacerdos mysteriorum fieret particeps, cæteris otiosis adstantibus & in respondendo tantùm occupatis. Equidem non existimandum est, tot Episcopos tam ἀκύρως esse loquutos. Paulus, ad quem appellant, non docet aut monet Corinthios, curent adesse, qui respondeant, sed ut ipsi ad mensam Domini accedant, manducent, bibant. Quin immò non opus fuit in Apostolicâ Ecclesiâ quenquam ad eum modum respondere. Etsi enim præfationes, *Sursum corda, Habemus ad Dominum,* & salutationes presbyteri & populi, *Dominus vobiscum, & cum spiritu tuo,* antiquissimæ sint, incertum tamen est, an ab Apostolis

Lib. 7. Ep. 6

stolis ipsis usurpatæ, quos Gregorius quidem Magnus ad solam orationem dominicam consecrasse, Walafridus autem Strabo, præmissâ oratione dominicâ, & commemoratione passionis ejus adhibitâ, corpori & sanguini Dominico communicasse dicunt. Non contemnendum itaque testimonium paulò antè producti canonis, qui & in Capitulari, additione secundâ, canone x exstat, idemque videtur esse cum canone CCXXXII. Concilii Papiensis, quem in suâ Consultatione adducit Cassander. Verba utique eadem sunt, & facilè potuit contingere, ut vitio librariorum Parisiense in Papiense concilium mutaretur. Quicquid demum sit, si à Parisiensi aliud est Papiense, hoc ab illo verba, sumpserit, quod conciliis perquam est familiare. Optandum verò erat, superesse adhuc canones conciliorum, quæ eodem tempore à Ludovico Imp. Tolosæ, Lugduni & Moguntiæ celebrari jussa sunt, ut autor est Baronius. Nam in iis etiam sine dubio, quod huc faceret, inveniremus.

Berno Augiensis c. 1. De rebus Eccles. c. 22. Videatur item Amalarius præf. in libr. 3. Tom. 9. ann. 829.

XIV. Floruit eodem tempore Theodulphus, Aurelianensis Episcopus, qui in Epistolâ ad compresbyteros suos Aurelianensis parochiæ idem statuit: *Sacerdos missam solus nequaquam celebret, quia sicut illa non potest celebrari sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilominus plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendum est illud dominicum, Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum.* Hactenus Theodulphus. Jungimus pluscula Walafridi Strabonis verba, qui itidem hac ipsâ ætate floruit. *Per totam, ait, missam pro eis quam maximè & quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt atque communicant. Possumus autem & debemus, ut earum sacta missarum celebratio non paucis, sed multis prodesse credatur, dicere, ceteros & in fide & in devotione offerentium atque communicantium persistentes, ejusdem oblationis & communionis dici & esse participes. Quamvis autem si soli sacerdotes missas celebrant; intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus sacerdos exsequitur, tamen fatendum est ILLAM ESSE LEGITIMAM MISSAM, cui intersunt sacerdos, respondens, offerens atque communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Hæc VValafridus. Cujus judicio si standum, & si demum legitima est missa, cui intersunt sacerdos, respondens, offerens & communicans, quot millia illegitimarum quotidie in Romanâ ecclesiâ celebrantur! quanta pars cultus in illâ divini illegitima fuerit! qui an gratus & acceptus esse possit summo numini, meritò dubitatur. Bellarminus ad sacrificium confugit; *Pro hoc enim*, inquit,

Cap. 7. ap. Baronium, Tomo 9. an. 835. Matt. 18. 20. Cap. 22. in fine.

quit, *si missa accipiatur, perfectam & legitimam eam esse, etiam sine communicantibus, modò sacrificium à sacerdote consumatur.* At sic duplicem dari oportebit Missam, unam quæ nihil sit nisi sacrificium, alteram quæ sit sacramentum; & proinde hanc ab illâ specie distinctam: alia enim hujus, alia illius fuerit ratio & definitio. Qualis doctrina nec ex institutione deduci poterit, nec Veteribus cognita fuit. Veteres enim unam & eamdem actionem sive liturgiam, quam Latinis Missam appellare libuit, & sacramentum habuerunt, & suo quodam modo sacrificium. Quin nescio, annon ipsi etiam Tridentini. In solitariis enim Missis, quæ juxta ipsos sacrificia, *sacerdotem* ajunt *sacramentaliter communicare.*

Cap. 6. & canon. 8.

XV. Reliquum adhuc est haut ignobile capitulum concilii Nannetensis, quòd, quo tempore sit habitum, non satis constat. Exstat verò apud Reginonem de disciplinâ Ecclesiasticâ, & in decreto Ivonis his verbis: *Definivit sanctum concilium, ut nullus presbyter præsumat solus missam cantare. Cui enim dicit, Dominus vobiscum, aut Sursum corda, aut Gratias agamus Domino Deo nostro, quum nullus sit, qui respondeat? aut in canone, Et omnium circumadstantium,* &c. *quum nemo adsit? Aut quem invitat ad orationem, quum dicit Oremus, quum nullus sit, qui secum oret? Aut igitur ista penitus reticenda sunt, & non solùm non erit perfectum sacrificium, verùm etiam incurret, quisquis ille est, terribilem illam sententiam, Si quis tulerit de hoc, tollet Dominus partem ejus de libro vitæ; aut si hæc muris aut parietibus insusurraverit, ridiculosum est. Quapropter illa ridiculosa superstitio, maximè à monasteriis monachorum exterminanda est.* Daniel Chamierus suspicatur recentius esse hoc consilium, quòd apud Ivonem, qui vixerit in fine seculi XI. occurrant aliquot ex eo canones. Sed fallitur. Exstat enim apud Reginonem libro primo de disciplinâ Ecclesiasticâ; unde adducit Cassander in Liturgicis. Floruit autem Regino seculo nono, eoque ad finem vergente, nempe anno XCII. abbas Prumiensis electus est, quemadmodum in Chronicis suis ipse memorat. Verisimile igitur est, hoc quoque consilium seculo nono esse celebratum, (ætate Reginonis posterius non esse certum est) quum adhuc Episcoporum studia in profligandâ pravâ illâ cósuetudine fervverent. Deinceps enim invaluisse missas solitarias, nec apertè improbatas, ex silentio conciliorum, quæ ex eo tempore congregata fuerunt, colligitur. Regino, Trithemio teste (ut obiter hoc quoque moneamus) *inter doctores Germaniæ & Galliæ suo tempore facilè obtinuit principatum. Scripsit autem præfatum opus, quod prænotatur de ecclesiasticâ disciplinâ & religione Christianâ, jubente Rathbodo archiepiscopo Treverorum, quod ex decretis sanctorum patrum, & generalium conciliorum in duobus libris comportavit, & in nongenta ferme capitula, per rubricas ex*

Lib. 1.

Panstrat. Tom. 4. lib. 7. c. 14. §. 8.

L. de scriptor. eccl.

more

more luculenter distinxit. Bellarminus id *non putat exstare.* Exstat autem inter codices Bibliothecæ nostræ Juliæ in membranis manuscriptum, in totidem capitula & per rubricas ita distinctum, quemadmodum annotat Frithemius. Canonem sive capitulum paullò antè productum è Liturgicis Cassandri descripsimus: nec legitur in concilio Nannetensi, quod exhibent tomi Biniani, constans capitulis xx. Habetur autem apud Reginonem libro primo, numero CXCI. Manuscriptus codex verbis à Cassandro adlatis ista subjungit: *Provideant autem prælati, ut presbyteri in cœnobiis & in aliis Ecclesiis, cooperatores habeant in celebratione missarum. Si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur.* Et loco voculæ *ridiculosa*, habet *periculosa superstitio.* Non est verò, quòd gratuletur sibi Bellarminus, ex hoc capitulo, utpote seculi noni monumento, antiquitatem solitariarum probari. Neq; enim tum temporis usurpari cœpisse nos negabimus, modò itidem Pontificii non negent, publico concilii decreto tamquam ridiculosas & superstitiosas fuisse rejectas. Non jubet concilium, ut unus saltem adsit qui respondeat, sed *ut presbyteri cooperatores habeant,* quæ cooperatio non utique in paucis illis responsionibus, sed in oratione & communicatione sita est. Hodie verò non solùm non adsunt ulli, qui communicent, sed eos etiam sæpe sibi presbyteri adsciscunt cooperatores, qui saltem signum motâ campanulâ dare assveti, vix Amen satis rectè respondere possunt. Pag. 97. Tomo 7.

XVI. Quum circa idem tempus, quo publicis decretis concilia Moguntiacum, Parisiense & Nannetense missas solitarias improbarunt, oratoriorum, sacellorum & altarium numerus in immensum excresceret, huic quoque malo maturè obviam ire placuit. Severè igitur in quibusdam conciliis interdictum, ne in his, ut vocant, ædiculis Eucharistia celebraretur. Non poterat enim non turbari ordo & disciplina Ecclesiastica, quum proceres, & qui opulentiores erant, structâ in domibus suis vel palatiis ædiculâ, neglectis publicis conventibus, à conducto mercede sacrifico rem divinam fieri curarent. Hanc autem fuisse idoneam & insignem introducendis solitariis missis occasionem, quis fuerit tam pertinax, qui concedere nolit? Luitbrandum Longobardorum Regem primum sibi in suo palatio construxisse oratorium, autor est Paulus Warnefridus. Sic enim ait: *Luitbrandus intra suum quoq; palatium oraculum domini Salvatoris ædificavit, & quod nulli alii reges habuerant, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie divina officia decantarent.* Concilia, quæ missas in his oratoriis celebrari vetant, sequûtur autoritatem synodi Laodicenæ, quæ canone LVIII. q in codice canonū universæ ecclesiæ à Justello edito est CLXII. decernit, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰς γίνεσθαι παρὰ ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων. *Non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis* De gestis Longobardorum. lib. 6. c. 58.

vel

vel presbyteris. Concilium Trullanum, canone XXXI. *εὐκτηρίους οἴκους* vocat. Et Nicena secunda Synodus *ἐν τοῖς τῶν ἀρχόντων εὐκτηρίοις* rem divinam fieri prohibet. Cabilonense concilium, anno ultimo pijssimi Imp.
Can. 49. & 50. Caroli celebratum, canonem Laodicenum servari præcipit; & dici Dominicæ observationem negligi conqueritur. Concilium Aquisgranense sub Ludovico Imp. anno DCCC. XVI. congregatum, uti pleraque ex veteribus concilijs & patribus, Hieronymo, Augustino, Gregorio & Isidoro repetit, ita hunc quoque canonem decantatum profert, & observari mandat. Synodus verò Parisiensis, liberâ & vehementi oratione consuetudinem, quæ tum irrepserat, perstringit. Non possum quin paulò plura ex illo concilio adscribam, quum pleraque cognitu sint apprime necessaria, & quæ de sacellorum & oratoriorum, qui hoc seculo novo invaluerit, abusu dicta sunt, planè confirment. Sic enim Episcopi in illâ synodo congregati lo-
Lib. I. c. 47. quuntur: *Consvetudines ad quorundam libitum repertæ, licèt contra autoritatem Ecclesiasticam existant, non facilè tamen accipiunt correctionem. E quibus est illud, quòd plerique presbyteri, neglectis basilicis Deo dicatis, in domibus & hortis missarum celebrationes, contra divinam autoritatem & canonicam institutionem, facere præsumant.* Tum aliquibus interjectis pergunt: *Laici diligenter perpendant, non esse sui officii, ut relictis basilicis Deo dicatis & Episcopali autoritate contemtâ, ad libitum suum in hortis & domibus, vel certè ædiculis, quas juxta domos suas construunt, & pallijs exornant, in quibus altaria erigi faciunt, missarum celebrationes presbyteros facere compellant. Recenti quippe tempore de celebrandis in talibus locis missis emersit contra authoritatem Ecclesiasticam hæc, ut quibusdam videtur, religiosa consvetudo: quæ, quia apertè Ecclesiasticæ antiquæ traditioni videtur reniti, non debet novâ adinventione & qualibet pertinaci intentione defendi.* Libro tertio cap. VI. iterum admonent, *ut posthabitis ædiculis, quas usus inolitus appellat capellas, basilicæ Deo dicatæ, ad missarum celebrationem audiendam, & Corporis & sanguinis domini perceptionem sumendam, devotè adeantur.* Capite XIX. Imperatorem orant, ut presbyteros, & capellas palatinas abroget, quò diebus solennibus proceres & palatini ministri ad publicas missarum celebrationes teneantur accedere. Hactenus Parisiensis synodus. Eandem querelam repetit Synodus Ticini coacta, sub Ludovico II. Imp. anno DCCC. LV. *Negligi enim doctrinam clamat & prædicationem in publicum, partim Episcoporum incuriâ partim quòd nobiles ac potentes, quos studiosiùs oportebat convenire, basilicas habeant apud suas domos, in quibus divinum possint audire officium.* Quis non videt hinc evenisse, ut res divina ab hujusmodi mercenarijs capellanis fieret, præsentibus paucis, paucioribus verò & sæpe nemine præter celebrantem communicante. Ca-

pellani

pellani enim isti plerumque rudiores, quàm ut ita fieri non oportere intelligerent; deque pietate minùs solliciti, quàm ut expenderent: proceres etiam ipsi, quid fieret, aut non fieret, haut magnopere curabant.

XVII. Testem producimus Agobardum Lugdunensem in Galliâ Episcopum, cujus sub Imp. Ludovico Pio magna fuit autoritas, quâ utinam adversus optimum Principem aliquando non fuisset abusus. Is tractatu de privilegio & jure sacerdotij, ad Episcopum Bernardum scripto, in hæc præ indignatione prorumpit verba: *Contueamur fœditatem nostri temporis, omni lacrymarum fonte plorandam, quando increbuit consvetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans & quantulumcunque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non domesticum habeat sacerdotē, non cui obediat, sed à quo incessanter exigat licitam simul atque illicitam obedientiam, non solùm in divinis officiis, verùm etiam in humanis. Ita ut plerique inveniantur, qui aut ad mensas ministrent, aut sacrata vina misceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus fœminæ sedent, regant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus hæc dicimus, bonos sacerdotes in domibus suis habere non possunt (nam quis esset bonus clericus, qui cum talibus hominibus dehonestari nomen & vitam ferret?) non curant omnino, quales clerici illi sint, quantâ ignorantiâ seu criminibus involuti tantùm ut habeant presbyteros proprios, quorum occasione deserant Ecclesias, sermones & officia publica. Quòd autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet ex hoc quòd non habent eos in honore, unde & contumeliosè eos nominantes, quando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos, aut jubent, dicentes: Habeo unum clericionem, quem mihi nutrivi, de servis meis propriis, aut beneficialibus sive pagensibus, aut obtinui ab illo vel illo homine, sive de illo vel illo pago, volo ut ordines eum mihi presbyterum. Cumq́; factum fuerit, putant ex hoc, quòd majoris ordinis sacerdotes non eis sint necessarii, & derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta* sive prædicationes. Hæc Agobardus. Advertant qui tanto studio missas solitarias defendunt, quæ prima earum fuerint initia. Ab impuris enim ejusmodi presbyteris, quales Agobardus describit, profectas quis negare ausit? Neque est, quod quis miretur toties improbatas abrogari non potuisse. Potentes enim invenerant patronos, proceres regni & palatinos ministros, ex quorum aulis transierunt in monasteria & claustra, inde per omnes basilicas & templa dispersæ. Sed ut ad Agobardum redeam, Is adeo sacerdotes illos abominatur, ut eos cum sacerdotibus excelsorum, quos sibi Jeroboam, neglectis Aaronis posteris à Deo ad sacerdotij munia obeunda electis, adsciverit, comparare non vereatur. Quòd si justæ fuerint Agobardo causæ, ut in hæc verba prorumperet, quis hoc tempore non idem dicat, quo complures alias corruptelas, illâ ætate adhuc incogni- 2. Chron. 13.

tas, dominari videmus. Agobardi enim ævo, etiamsi missas *ἀργυρωνήτους* celebratas fuisse non negemus, ignota tamen fuit illa missarum nundinatio, quam qui detestarentur, inter ipsos Pontificios non defuére. Nondum quoque capellarum, ædicularum, & altarium multitudo in tantum numerum excreverat, quanto hodie laborat Romana Ecclesia. Quis veterum primæ mediæque ætatis unquam meminit tot in uno templo altarium, quot hodie singulæ basilicæ numerant? Eusebius de splendido illo & magnifico Tyriorum templo, quum vestibulum, chorum, subsellia & marmoreum templi pavimentum descripsisset, *Sanctum Sanctorum altare in medio constitutum est*, inquit. Quid verò Caspar Bruschius, ubi sumtuosissimam & augustam Ulmensium basilicam, Beatissimæ Virgini Mariæ sacram describit. *Vlmenses*, inquit, *templum parochiale ingentibus impensis excitatum unâ & quinquaginta aris elegantissimè decorarunt*. Quis non exclamet, profligatam primævam illam sinceritatem, quæ unum noverat altare, & id quidem in medio templi? Quid opus est Tridentinos patres, ut simulent se curâ Ecclesiæ tangi, optare, ut sint, qui sacramentaliter semper cum presbytero participent, quum tot permittant esse altaria, tot sacrificulos, missas adeo densas & tanto numero celebrari, ut singulis communicantes adesse sit *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*. Quanto satiùs erat superfluis istis legitimum modum ponere, quàm irritis votis piorum hominum spes frustari.

Lib. 10. Hist. Eccl. cap. 4.

Apud Hospinianum de origine templorum lib. 1. c. 6.

Lib. 5. ep. 50.

XVIII. Gregorius tamen, inquit Bellarminus, in Epistolâ ad Palladium Sanctonensem Episcopum, meminit tredecim altarium, quæ Palladius in unâ ecclesiâ posuerit. Fateor equidem sic legi in Gregorio, & aliud quod respondeam non habeo, quàm ut verba Thuani afferam, quibus libro secundo commentariorum de vitâ suâ, templum S. Orentij, quod Augustæ Ausciorum, quæ Novempopulaniæ olim caput fuit, visitur, describit. Sic autem ille: *In templo S. Orentii juvit spectare altaria hinc inde in templo posita, quæ sunt sepulcra martyrum; ad quæ Christiani cœtus olim celebrari solebant, non mensæ ut sunt nostræ specie planâ jacentia, sed dorsi gibbo assurgentia, cum notâ Labari inscriptione, quæ duabus literis Græcis Christi nomen refert, quod purioris antiquitatis seculum proculdubio arguit*. Hæc Thuanus. In memoriam martyrum erecta fuisse olim monumenta, quæ altaris speciem præ se ferrent, ex concilij Carthaginiensis quincti canone XIV. quem Decretis de Consecratione inseruit Gratianus, constat. *Placuit ut altaria, quæ passim per agros aut vias, tamquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum condita probantur, — evertantur.* Talia itaque altaria Palladij, id est, memoriæ martyrum. Si commodè fieri potuit, ut in ijs sacra peragerentur, verosimile est non nisi

Dist. 1.

in.

in natalitijs martyrum, quorum corpora vel reliquiæ ibi conditæ, celebrata fuisse. Quòd sine communicantibus, aut quòd eodem tempore alia simul & semel accumulata, nec constat, nec hinc elici potest. Eodem facit, quod narrat Optatus Milevitanus de Donatistarum martyribus: *In loco Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi, quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras aut mensas poterunt numerari.* Ex Tertulliani libro de pœnitentiâ, qui multitudinem altarium in eodem templo evincere laborat, fallitur; & frustra est Bellarminus, quum id conatur. Neq; enim ignorare poterat, quomodo hunc locum Tertulliani, *aris Dei aggeniculari*, jam olim restituerit Pamelius, cujus emendationem probat satis gravis interdum Pamelij censor Gabriel Albaspinæus. Neque enim *aras Dei*, sed *caros Dei* dixit Tertullianus, quòd pœnitentes supplices & proni martyrum se pedibus advolverent, rogantes, ut pacem darent, sive à Deo & ab Ecclesiâ veniam impetrarent. Seculo nono plura sunt in templis altaria poni cœpta. Docet hoc nos constitutio in capitulari Magni Imp. Caroli, quæ prohibet, *ne superflua sint in Ecclesiis altaria.* Trithemius in descriptione monasterij Hirsaugiensis autor est, Ealfridum comitem in Hirsaugiensi templo à se constructo, quatuor constituisse altaria. Pòst multitudo altarium apud Latinos ita aucta est, ut hodie quot basilicæ sustentantur columnis, tot fere posteriùs addita sive apposita (quod ipsum quoq; novitatem arguit) altaria numerare liceat. Eusebius altare in medio templi Tyrij positum *sanctum sanctorum* appellat; idq; unicum erat. Hodie una ampla basilica interdum viginti, triginta vel plura *sancta sanctorum* numerat.

Lib. 3. cap. 8.

Capit. 4. App. 1. Tit. 7.

XIX. Altaribus jungantur monasteria, in quibus missas sine communicantibus celebrari cœptas, testatur capitulum concilij Nannetensis, quod ridiculam & superstitiosam consvetudinem ex monasterijs eliminandam censet. Aliter sentit Stephanus Eduensis Episcopus, qui circa medium seculi decimi, Bellarmino teste, floruit. Verba ejus ex libro de sacramento altaris adscribo: *Sciendum est, quòd si unus tantum sit præsens, vel si nulli sint præsentes, ut in missis solitariis, non ideo mutantur, quæ pluraliter solent fieri orationes. Primò enim non solebant missæ celebrari sine collectâ fidelium multitudine. Postea mos inolevit solitarios, sicut monachos, celebrare, quod eis concessum est ex indulgentiâ. Inde etiam seculares consveverunt missas cantare privatas. Tunc fiunt salutationes ad omnes fideles, qui assistunt, quasi præsentes fide & charitate sacramentis communicantes.* Et paucis interjectis: *Uno præsente sacerdos plures alloquitur & salutat, quia præsens adstat omnis Ecclesia, singula enim membra sibi invicem & capiti & corpori cohærent, quamdiu vegetantur spiritu Dei.* Paullatim invalescunt abusus & corruptelæ.

Priore seculo superstiosam, & partim incuriâ, partim avaritiâ receptam consvetudinem Episcopi in concilio congregati improbant & abrogant: alio, quod proximè sequitur, non desunt Episcopi, qui defendant & propugnent. *Quotquot sunt de corpore Christi, quod est Ecclesia*, inquit Stephanus Eduensis, *salutantur, & eorum suffragia postulantur, quorum fides per gratiam Dei adjuvat fieri tanta mysteria.* Cæterùm hujusmodi defensores irrito labore in pervertendo canone laborant. *Memento*, dicit presbyter, *omnium circumstantium*. Circumstantes solitariis sunt fideles per totum orbem dispersi, & quicunque ab ecclesiæ corpore non sunt separati. Olim verò circumstantes erant, qui divina mysteria percepturi adstabant. Solitariis ergo præsentes, absentes sunt; unus, multi. Sed hæc non sunt tanti, ut iis immorari operæ pretium sit. Majori conamine hoc saxum Sisyphi volvit Petrus Damiani, ex monacho Benedictino Episcopus Ostiensis, & Romanæ Ecclesiæ cardinalis, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, inquit Trithemius. Is hanc quæstionem integro libro, quem appellavit, Dominus Vobiscum, ventilavit; multa ex eo adscribere opus non est; pauca tamen quædam ex præfatione ad Leonem inclusum afferre libet. *Nonnulli fratres*, inquit, *Eremiticæ vitæ sectatores frequenter interrogant, cùm singulares in cellulâ commorantur, utrum illis liceat dicere, Dominus vobiscum, Iube Domine benedicere; atque ipsi, ut sunt soli, juxta morem Ecclesiasticum debeant respondere. Quidnam autem inter se ratiocinantes dicunt, Numquid lapidibus aut tabulis cellæ petenda benedictio est, aut illis dicendum est, ut Dominus sit cum eis? Quidam autem si quo modo Ecclesiasticæ traditionis ordinem deserant, peccare se, tanquam qui pensum divini servitii minuant, pertimescunt.* Quid respondeat Petrus Damiani, qui scire volet, eum adeat. Mihi integrum non est illis immorari. Id tamen silendum non est, videri phrases ecclesiasticas, *Pax vobis, Dominus vobiscum, Sursum corda, Habemus ad dominum*, & similes, faciliùs posse excusari vel quocumque modo aptari, quàm verba, quæ in canone dicuntur, *Memento Domine circumstantium*, item, *Quotquot ex hâc altaris participatione sumserimus.* Hæc enim missis sine circumstantibus & sine communicantibus è diametro adversari, nemini potest esse vel dubium vel obscurum.

XX. Odo Cameracensis Episcopus in expositione canonis missæ, quomodo solitarii, quæ ipsis non satis conveniunt, explicent vel potius detorqueant, diligenter notat. Ad verba verò, *& omnium circumstantium*, quum ipse rectè notasset, circumstantes esse, qui corporaliter adsint, sanctorum cooperatores mysteriorum, subjicit: *Quum primitus missæ sine collectâ non fierent, postea mos inolevit Ecclesiæ, solitarias maximè in cœnobiis fieri missas, ubi quum non*

non habeant, quam pluraliter collectam salutent, nec plurales mutare possint salutationes, convertunt se ad Ecclesiam, (hic interfatur Espensæus, & ait, *absentemne, & ubilibet alibi locorum, an ad lapideam materialem, quum præsentem aliam non habeant? dicentes, se Ecclesiam in Ecclesiâ salutare, & in corpore totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Ecclesiâ confici sancta mysteria per gratiam Dei, nec esse quemquam alicubi fidelium, qui vivificorum non fiat particeps & cooperatorius sanctorum, dum in corpore Ecclesia adhæret capiti velut utile membrum.* Hæc Odo. Ex quibus constat, monachos ad introductionem missarum solitarium multùm contulisse. Licuit quoque ὡς ἐν παρόδῳ cognoscere veterum solitariorum effugia, quibus sibi adversantia declinare conati. Sic Innocentius quoque tertius, Pontifex Romanus, qui sub finem seculi XII. sedere cœpit: *Statutum quidem est in sacris canonibus, ut nullus presbyterorum missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus sibiq; respondentibus ipse tertius habeatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secretis, Orate pro me, apertissimè convenit, ut illius salutationi respondeatur à pluribus. Verùm aliud est necessitatis articulus, aliud religionis contemtus. Piè quoque creditur, & sacris autoribus comprobatur, quòd angeli Dei comites assistant.* Innocentius, quæ verba alij solitarij ad fideles, ubicunque fuerint, referunt, ad angelos referri posse putat, quos, dum hæc tremenda mysteria celebrantur, præsentes esse piè & rectè quidem creditur: non tamen ita difficultates omnes expediuntur. Quàm absonum enim fuerit verba, *quorum fides tibi cognita est*, & *Quotquot sumpserimus*, ad angelos referre? Quanto satiùs igitur erat, institutioni divinæ & praxi primitivæ ecclesiæ inhærere, quàm inextricabilibus se induere difficultatibus.

Lib. 2. de mysterio altaris cap. 24.

XXI. Post nonum seculum vitio temporum, Episcoporum incuriâ, sacrificulorum avaritiâ, invalescente superstitione & errore de purgatorio, & liberandis ex eo per suffragia & iterata missarum solennia animabus, missarum solitariariarum tum numerus tum autoritas plurimù crevit. Nactæ sunt defensores Episcopos, Cardinales, Pontifices denique ipsos. *Petri Damiani Cardinalis*, ait Espensæus, *rationibus eò profectum est, ut solis privatim non solùm orare, aut canonicas horas recitare suo cuiq; in cubiculo liceat, sed missas etiam, ne uno quidem arbitro, celebrare.* Equidem vix id aliter fieri potuit, quum idem Petrus regularem quemq; presbyterum pro singulis in suo monasterio defunctis, XXIIX. missas cantare jubeat. Sic enim ait in Eremitarum fontis Avellani regulâ *Illud silentio præteriri dignum non esse ducimus, quia, quum frater quidam ex nostris obierit, unusquisq; pro eo septem dies jejunat, septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipit, septingentas metanoeas facit; XXX. insuper psalteria, &*

ria, & XXIIX. missas presbyter quisq; ex more decantat; continuis quoq; triginta pro eo diebus specialiter missarum solennia celebrantur. Hinc itaq; si non origo, certè multiplicatio missarum solitariarum. Placuit tamen quibusdam non admittere, ut sacerdos sine arbitro ullo celebraret. Sigfridus Coloniensis Archiepiscopus, qui sub Rudolpho Imp. vixit, in statutis, quæ condidit, cap. I. *Celebratio missæ sine socio vel scholari, qui respondere valeat celebranti, non fiat; nec mulier ad altare permittatur ullatenus ministrare.* Wicholdus Archiepiscopus Coloniensis cap. XVII. sancit, ne campanarii in villis & ecclesiis parochialibus alii, quàm literati constituantur, qui in defectu respondentis ad altare celebranti respondere possint. Literati hîc indubiè non alii, quàm qui legere possint: sæpe enim ipsi presbyteri non multò doctiores. Albertus II. Imp. & Carolus VII. Rex Francorum in pragmaticâ sanctione, quæ legitur apud Goldastum, constituunt cap. XXVII: *Rem divinam, quam missam appellamus, sine ministro nunquam decantato, dum eam facis, vocem exaltato, quæ à circumstantibus exaudiri possit, secus agentem corripito.* Hæc autem testimonia non ideo affero, quòd putem ea ad missas solitarias refellendas aliquid facere, sed ut constet, quòd illæ saltem missæ, quæ nullo arbitro præsente celebrabantur, plurimis, qui eas apertè canoni missæ adversari viderent, displicuerint. Accedunt concilium Coloniense, sub Hermanno Archiepiscopo, an. M.D.XXXVI. Treverense ab Archiepiscopo Johanne, & Moguntinum à Sebastiano Archiepiscopo uno eodemque anno M.D.XLIX. congregata, quæ omnia mandant, ne presbyter missas nisi duobus præsentibus celebret. Uti autem feraces sunt errores, ita non defuerunt, qui missis solitariis improbè abuterentur, & divinationes ex iis captarent. Concilium enim quod Salegunstadii in Germaniâ, seculi undecimi an. XXIII. Imp. Henrico II, & Pontifice Benedicto IIX, habitum est, quum canone quinto vetuisset, *ne presbyter in die ampliùs quàm tres missas celebraret*, canone X. sancit: *Quod quidam Laici, & maximè matronæ, habent in consvetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium, In principio erat verbum; & missas peculiares, hoc est, de S. Trinitate, aut de sancto Michaële, hoc ulteriùs fieri non debet, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentiâ S. Trinitatis, non pro aliquâ divinatione, & si voluerint, ut sibi missæ cantentur, de eodem die audiant missas, vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.* Quàm verò flagitiosum tantis mysteriis tam improbè abuti. Non opus tamen erat, contra hujusmodi tetras depravationes canones & decreta promulgare, si exemplo primitivæ Ecclesiæ, omnes publicæ essent, & in conspectu totius populi fidelis celebrarentur. Equidem dubium non est, sanctissimos Ecclesiæ Doctores, & Mar-

Tom. 2. Const. Imperialium p. 402.

tyres Christi, quicquid ad excitandam pietatem, & illustrandam divini nominis gloriam faceret, & docuisse magno studio, & fecisse ipsos. At verò unquam docuisse, quod hodie de missarum, nemine præsente, nedum communicante celebratarum, usu, fructu, frequentiâ & multitudine docetur, id ex illis quidem, quæ ad nos pervenerunt scriptis, erui non potest. Prætexi solet, è populo plerosque imparatos & indignos esse, qui sacrum Domini corpus & sanguinem sumant. Sed presbyterum plerumque indignissimum sumere, jam tum seculo XI. questus est Guitmundus Archiepiscopus Aversanus. Quum enim dissereret contra eos, qui partem panis & vini immutabilem remanere propter indignos statuebant, hâc potissimùm eos ratione refellit: *Sacerdos plerumque indignissimus missam celebrat, solusque id, quod consecratum est, totum sumit. Si ergo id, quod sumturus erat indignissimus iste, propter ipsum immutabile remansit: quoniam totum sumturus erat, nihil de pane & vino in carnem & sanguinem Christi immutatum est.* Æmulentur pii ecclesiæ præsides præclarum studium Antonii à Prato, Archiepiscopi Senonensis, tituli S. Anastasiæ Presbyteri cardinalis, Franciæ Cancellarii, qui coacto anno M.D.XXIIX. Agendici Senonum concilio provinciali, plurimùm laboravit, ut privatæ missæ, quàm maximè fieri posset, restringerentur, quum abrogare eas penitus non auderet. Exstant ejus decreta, quibus sacrificulis, in sacellis, oratoriis, capellis hospitiorum, missas celebrandi, quantum quidem fieri potest, omnis præscinditur occasio. Hujus, inquam, exemplum imitentur ecclesiæ præsides, & quisque suum studium ad emendandam ecclesiam, & inolitas corruptelas eliminandas, conferat. Nec dubium, quin nullâ aliâ ratione feliciùs feralia schismata, quæ ecclesiam scindunt, & Respublicas turbant, sopiri possint. Interea verò, dum pravæ consvetudines non solùm non abrogantur, sed magnâ etiam animi contentione defenduntur, impugnandæ sunt illis argumentis, quibus hactenus intelligentes omnes usi sunt, nempe divinæ legis autoritate, tum deinde ecclesiæ catholicæ traditione.

Lib. 3. in fine.

XXII. Omnia autem nobis contra hanc consvetudinem, missas sine communicantibus celebrandi, militant. SS. scripturæ autoritas, totius antiquæ ecclesiæ consensus, denique ipsæ, quibus hæc sacra liturgia tum ab Apostolis ipsis, tum à scriptoribus Ecclesiasticis appellatur. Κοινωνίας equidem & συνάξεως usitatissimæ voces jam olim moverunt Espensæum, ut fassus sit, in hujus sacramenti administratione sacrorum mysteriorum non spiritualem tantùm, sed etiam sacramentalem factam fuisse comunionem.

De missa publica & privata fol. 218.

Est

Est verò apud veteres communio, unum è propriis & præcipuis Eucharistiæ appellationibus. Apertè Dionysius Areopagita: ἐκκρίτως αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς ἱεραρχικὰς τελετὰς ἀνατίθεται, καὶ ἑνιαίως ἀνηγόρευται κοινωνία τε καὶ σύναξις. *Distinctè huic præ cæteris ecclesiasticis sacramentis id nomen attribuitur, & peculiariter appellatur Communio & Congregatio.* Etsi autem non una ratio, ob quam κοινωνίας nomen Eucharistiæ tribuitur, non tamen postrema est, quam veterum quidam tradunt, quòd ideo Eucharistia appelletur communio, quia à pluribus simul comunicantibus eidem pani & calici sumebatur: διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων, inquit Pachymeres, Dionysii Areopagitæ scholiastes. *Communionem vocat, quòd omnes digni tum participes fiant mysteriorum.* Aptissimè vero Micrologus, Ecclesiasticarum rerum peritissimus Cassandro scriptor: *Sciendum est juxta antiquos patres, quòd soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverunt. Vnde & ante oblationem juxta canones jubebantur exire Catechumeni & Pœnitentes, videlicet, qui nondum se paraverant ad communicandum. Hæc quoque ipsa sacramentorum innuit confectio, in quâ sacerdos non pro solâ suâ oblatione, sed etiam pro aliorum rogat, & maximè in oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur. Nec propriè communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participent.* Hæc Micrologus.

De Hierar. Eccl. cap. 3.

De Ecclesiast. Observ. c. 51.

XXIII. Frequens etiam apud veteres vocis συνάξεως usus, de quâ non minus verè, quod Micrologus de communione dixeris. συνάγειν est cogere cœtum, σύναξις propriè congregatio. Inde ad Eucharistiam vox translata, quòd ea in conventibus & cœtibus fideliû dispensaretur. ἀσύνακτος igitur pro excommunicato, & vox ipsa συνάξεως pro communione accipitur à Dionysio. Socrates verò: *In Alexandrinâ Ecclesiâ*, inquit, *feriâ quartâ & sextâ omnia fiunt quæ ad σύναξιν pertinent, exceptâ mysteriorum celebratione.* Synaxis igitur esse potuit aliquando sine celebratione mysteriorum: at hæc non sine synaxi. Quis autem verè synaxes appellari posse dixerit eas missas, quæ non solùm non in conventu aliquo populi, qui particeps fiat mysteriorum, celebrantur, vix uno vel altero adstante, interdum non nisi quodam puerulo? Quum tamen Eucharistiam ideo σύναξιν à veteribus dictam constet, quòd ad eam sumendam frequentes olim in suis sive cœmeteriis, sive cryptis, sive basilicis convenirent fideles.

Lib. 5. c. 28.

XXIV. Ipsa quoque invisa adversariis Cœnæ vox haud satis rectè missis solitariis convenit. Neque enim cœna, si vim vocis spectes, nisi plurium. Vel Plutarchus hoc nos docere potest, qui cœnam ait à communione dictam, quia soli prandere soliti essent Romani, cum amicis autem

Sympos. l. 8. probl. 6.

autem cœnare. Verba ejus sunt: Τὰ δεῖπνα φασι Κοῖνα διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι, καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ρωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. Cœna verò dominica qualis esse debeat, & Christus exemplo suo docuit, & à veteri ecclesiâ discimus. *Dominica cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradidit sacramenta*, inquit S. Hieronymus. Mensa igitur, ad quam Christus quotidie pascit, ait alicubi S. Augustinus, in medio constituta, quòd omnibus ad eam, qui non separati essent ab ecclesiâ, aditus pateret. Nec est, quòd in vocem Cœnæ irruant adversarii, eamq; ex ecclesiâ eliminatum eant. Apostolum ipsum arguant, qui hoc sacramentum δεῖπνον κυριακὸν dici ferre nequeunt. Accusent catechismum Romanum, qui *vetustissimos Patres, Apostolorum autoritatem sequutos, Cœnæ etiam nomine S. Eucharistiam interdum vocare fatetur*. Quid igitur peccarunt Protestantes, quòd Apostolorum, & vetustissimorum Patrum vestigia premunt, & frequentiùs cœnæ nomen usurpant. *Quinam rectius*, ait Georgius Wicelius, *hoc sacramentum appellaverimus, quàm si è sacris literis illi nomen quæsierimus. Ex historiâ itaq; Evangelij claret, cœnam fuisse. Unde Dominicam cœnam Paulus vocat, nec ibi aliud nomen usquam invenio. Habes, quo nomine rectè appelles hoc, de quo nobis sermo est, dominicam cœnam.* Hæc Wicelius, cujus sententia quid demum mali habet, ut conviciis lacerari eam fas sit? *Habet* tamen *studium novitatis*, inquit Petrus à Soto, *& solo eo utuntur hæretici.* Novitas scilicet est, quod ab Apostolis profectum. Et quos ille immeritò hæreticos criminatur, Eucharistiam non solùm vocant frequentissimè, sed cæteras etiam antiquas hujus sacramenti appellationes, ipsamq; sacrificii vocem non abhorrent.

In 1. ad Corinth. c. 11.

Part. 2. cap. 3. §. 5.

Homiliâ de cœnâ dominicâ.

Lect. 1. de Sacr. Euch.

XXV. Sed quid opus est his diu immorari? Ipsa vox missæ, quæ sola ferme in Romanâ Ecclesiâ obtinet, qualis olim fuerit Eucharistiæ administratio, & nunc esse debeat, planissimè ostendit. Ubi sunt hodie in Romanâ Ecclesiâ, quibus dici possit, Ite missa est, quum nullus interdum sit, qui adstet, nedum qui sumat corpus & sanguinem Domini. Manent antiqua nomina missæ catechumenorum & fidelium: nemo tamen est, qui dicat, Si quis est catechumenus, procedat; nemo qui clamet, Qui non communicat, det locum: nullus est qui exeat, nec enim quisquam sæpe adest. Longè alia fuit Eucharistiam administrandi ratio, quum primùm missæ vox cœpit in usu esse. Ætate enim Cornelii Episcopi Romani, (qui primus, quantum quidem constat, in Epistolâ ad Lupicinum dixit) & quotidie communicabant fideles, ut tradit Cyprianus, & qui in Ecclesiam convenissent, communicabant omnes, quod jubet concilium Antiochenum. Hodie

verò in Romanâ Ecclesiâ satis est, si unusquisque semel in anno communicet. Prudenter igitur quidem, minus tamen rectè, Scholastici Doctores, missæ vocem de hostiâ per angelum ad Deum missâ, vel aliter explicant, ne ea cum solitariis missis pugnet. Lepidè verò Hortulus animæ, & Radulphus de Rivo, Decanus Tungrensis, libro de canonum observantiâ inquiunt: *A quo missa nomen accepit, de veteri Testamento sumitur, ubi scilicet Pharao populum ire jussit, sive, ubi Cyrus populum à Babylone ire præcepit.*

XXVI. Accedimus jam ad institutionem Christi, ad quam quum ipsi Pontificij provocent, non debent molestè ferre, si nos quoque inde argumentum contra missas solitarias sumamus. Gregorius II. Pontifex, quàm severè exemplum Christi in administratione Eucharistiæ sibi existimaverit imitandum, vel inde constat, quòd tres calices in altari poni vetuerit, quia Christus uno saltem calice usus legitur. Sic enim loquitur in epistolâ ad Bonifacium Moguntinum, quæ exstat apud Baronium: *In Missarum solennijs observandum est quod Dominus noster Iesus Christus suis tribuit discipulis: accepit namq; calicem, dicens, Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, hoc facite, quotiescunq; sumitis. Vnde congruum non est, duos vel tres calices in altari ponere, cùm missarum solennia celebrantur.* Si Gregorius II. in re haud magni momenti noluit ab exemplo Christi deflectere, vix dubitari potest, quam sententiam in missas solitarias laturus fuerit. Ut vinum, quod consecratur, aquâ mixtum sit, præcepto non solùm Ecclesiastico, sed etiam divino mandari ait Gregorius de Valentia. Ut enim probet suam sententiam, ad exemplum Christi provocat, quem vino diluto usum esse veteres tradunt, & probabile esse creditur, quòd vinum aquâ misceri in toto oriente moris fuerit. An verò Dominus ipse manibus suis, quum cœnaretur, miscuerit, minimè constat. Nihilominus præcepto etiam divino teneri asserit ministros sacrorum, ut vinum aquâ misceant, quòd, quando Christus vinum dilutum discipulis dedit, verbis imperantibus, *hoc facite*, idem quod ipse fecit, agere præceperit. Nostras inde ecclesias grandis erroris accusat, quòd mixtionem indifferentem censeant. Sed ecce, quàm iniquè nobiscum agant adversarii! Nos enim, quum missas solitarias abolendas censemus, & juxta præceptum Christi, quoties memoria mortis ejus peragitur, corpus ejus & sanguinem fidelibus distribui ad exemplum totius veteris ecclesiæ postulamus, stupidi dicimur, quòd id ex Christi institutione evinci posse putamus. Illi verò ad id faciendum nos præcepto Christi, ex iisdem Servatoris verbis deducto, obligari volunt, de quo tamen, quòd Christus id fecerit, tacet historia Evangelica.

Tomo 9. anno 726.

Tom. 4. Disp. 6. q. 2. p. 1.

XXVII. Quibus ergo illi rationibus, ut vinum dilutum sit, suadent,

iisdem

ijsdem nos, sed rectiùs & efficaciùs contra ἀκοινωνήτους missas utimur. Quum enim omnes Evangelistæ, & Paulus demum, ubi institutionem dominicæ cœnæ narant, memorent, Christum panem & vinum consecrasse, dedisse singulis ut ederent & biberent, denique jussisse, ut idem, quod ipsum facere videbant, illi quoque in posterum facerent, quis negaverit Christum etiam dispensationem hujus sacramenti præcepisse? Equidem hæc tam aperta sunt, ut Thomas, etsi alibi solitarias missas propugnat, in hymno tamen, quem de hoc sanctissimo sacramento confecit, dispensationem quoque à Christo institutam asserat. Ita enim canit, Part. 3. q. 83. art. 5. ad 12.

Dedit fragilibus corporis ferculum, vers. 4. & 5.
Dedit & tristibus sanguinis poculum,
Dicens, Accipite, quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit,
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant & dent cæteris.

Non est absque consideratione transiliendum, quod Thomas ait, Christum ita instituisse sacrificium. *Ad sacrificium* enim, *ut sacrificium, nihil referre* ait Bellarminus, *si multi, vel pauci, vel nulli intersint aut communicent.* Thomas verò affirmat servatorem sic sacrificium instituisse, ut quando peragitur, sumant sacerdotes, & dent cæteris. Si vera sunt hæc Thomæ verba, falsa erunt Bellarmini. Quod enim hic vult esse indifferens, id Thomas ait Christum instituisse. Quin in ipsâ sequentiâ in festo corporis Christi canitur: Lib. 2. de missa c. 9.

Quod in cœnâ Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

At verò Christum dispensasse discipulis corpus & sanguinem suum, manifestum est. Ergo id nobis idem faciendum in ejus memoriam. Iodocus Clichtovæus in expositione canonis missæ ad verba consecrationis sic commentatur: *Christus per distributionem à se factam legem dedit fidelibus hoc sacramentum distribuendi in cibum vivificum, & salutem animarum, quod per ipsos & ipsorum successores sacerdotes jugiter observatum est, & ad finem usque mundi sine consummatione ipsius aut imminutione per sanctam communionem hoc sacramentum dispensabitur,* Fatetur Clichtovæus, Christum dedisse legem suis discipulis, ut distribuerent fidelibus hoc sacramentum. Lex igitur Christi, quam in institutione tulit, obligabit, quoties id agitur, quod Christus tum egit. Idipsum autem quum agere intendat sacerdos, qui missam celebrat, aut distribuat panem

 & vi-

Hyperaſpiſte adv. Anatomen Miſſæ fol. 38.

& vinum benedictum, aut ſciat illegitimam ſe miſſam celebrare. Eadem ferme quæ Clichtovæus, docet Jacobus Faber Molinenſis Theologus Sorboniſta. Sic enim inquit: *Si curioſiùs percunctetur quis, ubinam locorum ſcriptum ſit, miſſam celebrari debere; apud Lucam reſpondebo. Chriſtum enim poſt hujus ſacramenti inſtitutionem ſub panis & vini ſpecie ſuis id demandaſſe Apoſtolis cognoſcimus dicentem, Hoc facite in meam commemorationem. Quid cedo mandavit Chriſtus, nimirum quod fecerat. Quid verò, oro, Chriſtus egit? nempe accepit panem, gratias egit, benedixit, fregit, deditq́ diſcipulis ſuis, dicens, Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum, Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus. Iſthæc miſſa eſt ſive tota actio.* Hactenus Faber. Quid hiſce clariùs à quoquam dici poteſt? Eadem fere ſunt Fabri verba, quæ Chemnitii in examine Concilii Tridentini. Fabrum igitur & Clichtovæum refellit Bellarminus, dum Chemnitium oppugnat. Etſi enim ea forſitan Fabri & Clichtovæi ſententia non fuit, miſſas privatas eſſe illegitimas, ea tamen afferunt, quæ quomodo cum miſſis ſolitariis conſiſtere poſſint, non apparet. Ita ſæpe imprudenti, quod verum eſt excidit, & manifeſta veritas, dum premitur, per rerum evidentiam erigitur & emergit.

XXIIX. Chriſtum igitur præcepiſſe Euchariſtiæ diſpenſationem ex ipſorum adverſariorum teſtimonio liquet. Neque certè celebrari hoc ſacramentum rite poteſt, niſi ea obſerventur, quæ Servator, quum inſtitueret, & ipſe egit, & à nobis deinceps fieri voluit. Inſtitutioni enim totum ſacramentum ſuum eſſe debet, ut ea nobis, ceu norma ac regula quædam meritò eſſe debeat, ſecundum quam etiam hodie in eccleſiâ celebretur. Quin autem Chriſtus, ubi panem & vinum diſcipulis ſuis tradidit, exemplum nobis reliquerit cœnæ dominicæ in eccleſiâ celebrandæ, dubium eſſe non poteſt. Verba Servatoris, *Accipite, Edite Bibite, Hoc facite* imperantia utique ſunt, ut de

Seſſ. 22. c. 1.

poſtremis fatentur Tridentini. Et niſi tamquam imperantia capiantur, inſtitutio carebit præcepto obligante fideles laicos ad ſancta hæc myſteria ſumenda: quod abſurdum. Verba verò illa generalia, *Hoc facite*, ad omnes actiones Chriſti ſe extendunt æqualiter, quæ de ſubſtantiâ ſacramenti ſunt, quales certè ſunt actiones, quæ circa materiam verſantur, quæ non minùs, imò etiam magis ſunt de ſubſtantiâ ſacramenti, quàm ipſa materia, quia propter actiones adhibetur materia. *Ipſum ſacramentum, ut pote quoddam unum morale, non naturale,* (repeto verba clariſſimi Præſidis) *è compluribus conſtat actionibus, è quibus præcipuæ ſunt benedictio panis & vini, benedictorumq́ exhibitio & ſumtio. Hæ omnes de ſubſtantiâ ſunt ſacramenti: neq; enim altera minus eſt inſtituta, quàm altera, nec ratio ulla reddi poteſt, quare non æquè ſit de ſubſtantiâ ſacramenti,*

Diſput. de comm. ſub una th. 54.

menti, quàm altera. De integritate esse fateri omnes oportet. At hic, sive ubi de sacramento loquimur, substantia, essentia, integritas, coincidunt. Quæ verò ad substantiam pertineant, docet Alphonsus à Castro. Tria enim esse ait substantialia, *Consecrationem Eucharistiæ sub utraq; specie, oblationem illius Deo in memoriam Christi, & ejusdem oblationis sumtionem.* De quâ sumtione autem loquatur, ex iis, quæ paulò post addit, constat. *Nam Christus,* inquit, *in cœnâ ultimâ, postquam ipse corpus suum discipulis manducandum sub specie panis ded.t, dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis discipulis præcepit, ut illud, quod ipse fe.it, illi facerent in commemorationem ejus.* Agnoscit Alphonsus, verba esse imperantia, quæ jubeant id facere, quod Christus fecit. Quia itaque Christus distribuit, idem quoque iis, qui in sacrâ hac actione Christi vicem sustinent, faciendum erit.

Lib. 10. adversus hæreses.

XXIX. Haud multum abludit Petrus à Soto. Is enim, quum duos hujus sacramenti docu isset esse usus, oblationem & sumtionem, sic ait: *Secundus usus est, ut sit cibus animarum, nec immeritò proprius ejus usus dicitur ipsa sumtio, sive manducatio & potatio. Meritò autem proprius usus hujus sacramenti est ipsa sumtio. Hoc enim Christus in ejus institutione præcepit: Accipite & manducate, Accipite & bibite,* &c. *Quemadmodum Evangelista & Paulus ostendunt.* Habet in hanc rem plura Petrus à Soto, quæ omnia afferre non libet. Non loqui verò eum de consummatione sacrificii, quam volunt fieri, quando corpus & sanguis Domini à sacerdote sumuntur, sed de manducatione fidelium, ex tota lectione octavâ constat. Sumtio igitur juxta hunc Doctorem, sive manducatio proprius Eucharistiæ est usus. Minùs itaque proprius fuerit oblatio sive sacrificium, quale hîc volunt peragi. Quòd si tale vel maximè daretur, nihilominus præferendus fuerit usus proprius minùs proprio. At in Romanâ Ecclesiâ, nulla celebratur missa, in quâ secundum ipsos non sacrificetur: econtra paucæ, in quibus locum inveniat proprius usus, id est, in quibus à fidelibus manducetur corpus & bibatur sanguis Domini. Gravis sanè corruptela neglecto fere proprio SS. huius sacramenti usu, in altero, q; tamē ad istum modum institutus non est, omnium oculos defixos hærere. Statuto quidem Ecclesiastico ad comunicandum semel in anno, Paschæ scilicet tempore, adstringuntur. Quod hunc produxit fructum, ut Gabriel Biel fusè disputet, utrum sacerdos curatus teneatur suo parochiano petenti Eucharistiam extra tempus ab Ecclesiâ statutum ministrare. Affirmat quidem ille *teneri curatum subdito petenti Eucharistiam vel per se vel per alium administrare quocunque tempore si petierit: si impedimento legitimo se non potuerit rationabiliter excusare.* Hæc Gabrielis sententia, quin sit verissima, nemo utique nega-

De Inst. Sacerdot. lect. 8. de sacram. Euchar.

In 4. sent. Dist. 13. q. 1. art. 3. dubio quinto.

negaverit. Ipse tamen, quòd forsitan pauciorum esset, ait, *malle responsionem ab alio audire, & suam sententiam ut probabilem debere accipi, non præjudicantem sententiæ saniori.* Ex quibus verbis apparet, oppositam multis placuisse, fortè communem fuisse. Maluit videlicet Romana ecclesia missarum pompis oculosq; suorum alumnorum pascere, quàm animas eorum hoc sanctissimo epulo reficere. Quibus postquam audiendis sive spectandis jam assueverant, tantam cœperunt in ijs spem ponere, ut haud multum abfuerit, quin penitus à communione cessaverint, nisi præcepto ecclesiastico ad unam quotannis compulsi fuissent. Lubet hîc adjungere verba & testimonium Henrici octavi, Angliæ regis, è libro, quem Luthero opposuit: cujus auctori, Regi videlicet ipsi, titulus Defensoris fidei collatus, singulis autem lectoribus decem annorum & totidem Quadragenarum indulgentia à Romano pontifice concessa fuit. *Populus,* inquit, *primùm à quotidianâ communione deflexit in septimum quemq; diem, pòst in longius distulit: tandem destiturus videbatur omnino, nisi patres illud veriti sanxissent, ut ter in anno quisq; communicaret; interminati, non habendum pro Christiano, qui non obtemperasset. At nec id tamen potuit obtineri. Quamobrem ad ultimum eò descensum est, ut inferiùs descendi non possit, nisi fermè prorsus ad inferos; nempe ut semel saltem in anno communicemus.*

XXX. Poterant hæc hominibus moderatis, & unitatis pacisque Ecclesiasticæ amantibus satis esse ad agnoscendas corruptelas, post decursum meliorum seculorum in Ecclesiam invectas. Christum corpus & sanguinem suum discipulis in ultimâ cœnâ dedisse, nemo est qui negat, aut negare possit. Præcepisse verò, ut idem ab Apostolis & eorum successoribus fieret, quoties hoc, quod ipse egit, in suæ mortis memoriam peragitur, etsi verbis planis, apertis & perspicuis sacri scriptores memorant, præfractè tamen Romanæ ecclesiæ Doctores negant. Consideremus autem, qualibus argutijs verba Servatoris depravent, ne dispensatio ad integritatem sive substantiam hujus sacramenti pertinere videatur. Gregorius de Valentia, ut in Romanâ ecclesiâ institutionem Christi, quâ corporis & sanguinis sui sacramentum sanxit, non violari ostendat, totam institutionem in XIX. actiones dividit, quarum decem circa panem, & novem circa calicem occupentur. De quintâ quæ circa panem, & quartâ quæ circa calicem versatur, & his includitur verbis, *Deditq; discipulis suis,* quomodo philosophetur, audiamus. *Nequaquam Dominus eâ actione, quam verba illa denotant, Deditq; discipulis suis, effecit,* (Disp. 6. q. 11. p. 1. q. 2.) *ut discipuli plures illic præsentes adessent, qui de suo corpore & sanguine participarent, sed iis, qui & alioqui aderant, & de manu suâ, quicquid ipse porrigeret, volebant accipere, & ad accipiendum dignè præparati erant, corpus suum sub specie panis dedit.* Hæc

adeo

adeo sunt impedita, ut quid sibi velit Valentia, non satis appareat. Numerum ad circumstantiam referri debere nemo negaverit, & fatemur nos quoq; sacræ ejus actionis, quâ Christus benedictum panem & vinum, corpusq; suum & sanguinem distribuit, circumstantiam fuisse, quòd duodecim, ijque discipuli & Apostoli præstò essent. Sed non sequitur, Potuissent plures vel pauciores adesse: ergo potuissent etiam planè nulli adesse, & nihilominus sacræ istæ actiones peragi. Objectum enim aliquod, circa quod occupentur, id est, homines quibus porrigatur, quique accipiant, omnino requiritur. Sic rectè affirmo, Baptismum ritè administrari posse, sive unus sit qui baptizetur, sive plures; & legitimum baptismum ad nullum definitum baptizandorum numerum adstringi. Sed inde perperam efficere conaberis, legitimum fore baptismum, etiamsi absque præsente aliquo baptizando aqua fundatur & formula pronuncietur. Pari ratione dandus est panis & vinum benedictum sive uni, si forte opus sit, sive pluribus: neque id essentiam vel substantiam sacramenti variaverit. At nemini dari, neminem accipere, cum actione & institutione Christi conciliari nullo modo poterit. Neque est qui dicat, ut queritur Valentia, idcirco contra præceptum institutionis delinqui, quòd non plures convocentur. Id jure reprehenditur, quòd nullus adsit, quòd nemini presbyter tradat, nemo accipiat, & nihilominus credatur missa institutioni Christi conformis celebrari.

XXXI. Is tamen, inquiunt, qui consecrat, corpus & sanguinem Domini sumit. Falsum igitur est, neminem esse qui particeps fiat. Est quidem hoc in propatulo: atqui Servator non tantùm ipse sumsit, si tamen sumsit (nam nihil tale ab Evangelistis memoratur) sed aliis dedit, alii acceperunt. Hæ actiones ad essentiam sacramenti pertinent, & propterea is, qui intermittit, non potest dici sacramentum peragere, quod peregit & instituit Christus. Neque potest rectè concipi dans vel tradens, nisi simul intelligatur & ponatur alius qui accipiat.

XXXII. Quod septimam & octavam actionem, quæ præcipitur Christi verbis, quibus discipulos affatus dixit, Accipite & manducate, attinet, has quoque *Catholicæ Ecclesiæ ministros*, inquit Valentia, *minimè præterire exploratum est. Accipiunt enim consecratum panem & sumunt.* Eodem modo ante ipsum Conradus Clingius: *Subinde*, inquit, *jussit consecratum corpus & sanguinem comedere & bibere. Et id quoq; fit ad minus à sacerdote consecrante.* Sed hoc effugium jam fuit interclusum. Utique certum est, verba *accipite & manducate*, referri ad præcedētia, *dedit discipulis*, hisq; ipsis utpote personis à dāte diversis dici. Oportet igitur in sacrâ hac actione dantem & accipiētem distingui, sive distinctas perso-

In Locis cōm. lib. 4. cap. 25.

personas esse. Neque quando apud Pontificios in celebratione missæ sacerdos consecrans sumit corpus & sanguinem Domini, hoc ideo secundum ipsos fit, quòd Christus verbis *accipite & manducate*, & *bibite ex eo omnes*, præceperit; sed quòd juxta ipsorum de sacrificio doctrinam, quæ tamen in institutione nullum habet fundamentum, sacrificium aliter peragi & consummari nequeat. Hæc magis & evidenter liquent è verbis Pontificiorum, quæ mox subjiciemus. *Omnino tenenda est sententia Thomæ*, ait Valentia, *proferri verba operatoria significativè & personaliter à sacerdote, non quidem per se, sed quatenus peculiari ratione induit & repræsentat in eâ re Christi personam, ut cùm legatus aliquis, sustinens personam sui principis, dicit aliquid significativè nomine ipsius, perinde ac si ipse princeps præsens loqueretur.* Eadem ferè habet Catechismus Romanus. *Prorsus unus & idem sacerdos est Christus Dominus. Nam ministri, qui sacrificium faciunt, non suam sed Christi personam suscipiunt, cùm ejus corpus & sanguinem conficiunt.* Manifestum itaq; non observari actiones per verba, *Accipite & manducate*, significatas, alijsque injunctas, quum solus sacerdos sumit. *Consecratio*, ait Bellarminus, *& consummatio sunt de essentiâ sacrificij*, & alibi, ubi se miserè torquet, ut investiget, quod nusquam invenire licet, doceatq; in quibus sacerdotis actionibus essentia sacrificij consistat, jam dixerat, sacerdotem sacrificium missæ offerre in personâ Christi, *Christum* autem *aut consecrando & consumendo sacrificasse, aut nullo modo sacrificasse.* Duplex igitur ratio propter quam juxta illos consecrans presbyter panem & vinum benedictum sumit: una, quia sumtio illa est de essentiâ sacrificii, altera, quia sequitur servatoris nostri exemplum. Quam tangit etiam Valentia, quum ait: *Ex illâ communi Patrum assertione, quam ponit Thomas, confirmari potest, rectè in Ecclesiâ fieri, quòd Eucharistiam sacerdotes ipsi dum sacrificant sumunt, siquidem debent facere, quod Christus fecit.* Quum igitur sacerdos & consecret & sumat tamquam sustinens personam Christi, verba autem *accipite* & *manducate* referantur ad alios ut à Christo ita quoq; à presbytero diversos, patet utique, quum solus sacerdos sumit, quod consecrat, inania esse & cassa verba, *dedit discipulis, dicens accipite & manducate*, & ad rem, quæ sic peragitur, non pertinere, imò cum eâ pugnare.

Disp. 6. q. 6. p. 2.

Part. 2. §. 61.

Lib. 2. de missa cap. 10.

Lib. 1. cap. ult.

Disp. 6. q. 9. p. 1.

XXXIII. Hinc fortè est quòd Catechismus Romanus ex decreto concilij Tridentini & Pii V. Pontificis maximi jussu editus docet, verba *Accipite & manducate*, ad sacramentum conficiendum omnino non esse necessaria: *consequi enim ex hâc sententiâ, si hoc sacramentum nemini administrandum sit, confici non oportere aut non posse quidem, quum tamen dubitare non liceat, quin sacerdos prolatis ex more atque instituto sanctæ Ecclesiæ verbis Domini, aptam panis materiam*

Parte 2. §. 19.

riam verè consecret, quamvis deinde contingat ut nulli unquam sacra Eucharistia administretur. Ostendant autem quo fundamento liceat eis decernere, ad quasdam actiones, quum institueretur Cœna dominica, à Christo & Apostolis præstitas, hodie præstandas non obligari Ecclesiam, quando idem, quod tum factum fuit, juxta Domini præceptum ipsa quoque vult agere. Sacrificium propriè & strictè dictum hîc nullum est. Si dixerint, præcepto affirmativo has actiones sancitas esse, nec igitur obligare ad semper, hîc quoque obsessæ sunt viæ, ut nusquam detur effugium. Si ad traditionem primitivæ & antiquæ Ecclesiæ confugerint, hæc ipsis maximopere adversatur. Si denique ad sacram illam anchoram, autoritatem Ecclesiæ aut Pontificis, nihilo magis profecerint. Ecclesia enim uti nulla nova sacramenta sancire potest, ita neq; quidquam eorum, quæ ad integritatem & essentiam sacramentorum pertinent abrogare, quod quia utrinque admittitur multis probare non est opus. Ut verò ad Gregorium de Valentia redeam, quæ hæc est ejus argumentatio, quam jam antè recitavi: *Nequaquam Dominus ea actione, Deditq; discipulis suis, effecit, ut discipuli plures illic præsentes adessent, sed iis, qui alioquin aderant, & ad accipiendum dignè præparati erant, dedit*, &c. Ergo non opus est, ut adsint, qui præter presbyterum communicent. Hæc si firma consequentia, eodem modo argumentari licebit: Dominus ijs actionibus, quibus panem & vinum accepit, non effecit, ut panis & vinum tum adessent, sed pane & vino, quæ alioquin aderant, usus fuit. Ergo non opus, ut semper panis & vinum adsint. Posterius absurdum quum sit, utique & prius. Neque enim ad manducationem peragendam minus necessarij sunt homines qui manducent, quàm panis qui manducetur. Ne illud quidem rectè admodum, quod generaliter pronunciatur Christum discipulis suis dignè præparatis corpus & sanguinem suum dedisse. Judam enim sacramentaliter communicasse tum plerique omnes, tum Valentia ipse fatetur, quem tamen dignè præparatum fuisse nemo dixerit.

XXXIV. Mirari autem jubet Gregorium de Valentia, insolenter nostros dispensationem urgentes affantem: *Aut omnia ista* (ut noctu, post coenam & lotionem pedum, veterique paschate celebrato hoc sacramentum administretur,) *similiter faciant, aut si ea se facere non debere intelligunt, quoniam ad circumstantias pertinent, quæ non sunt effecta illis actionibus, quas verba præcedentia propriè significant, ad quæ est verbum, Hoc facite, referendum; intelligant etiam eâdem ratione neque nos, ut ex Christi instituto missam celebremus, plures qui communicent convocare debere, quoniam nec hoc quidem, verbis illis Deditq; discipulis suis, propriè significatur esse factum.* Numerus quidem eorum, quibus aliquid porri-

Tom. 4. Disp. 6. q. 11. p. 1. q. 2. §. 4.

gatur

gatur manducandum, & qui porrectum manducent, actionibus præbendi, accipiendi & manducandi cibum extrinsecus, & inter circumstantias reputandus: at objecta, circa quæ actiones versantur, sunt necessaria, & sicut actiones, quas diximus, institui non possunt, sed necesse fuerit intermitti, si desit panis qui præbeatur & accipiatur, ita quoque si desint, qui accipiant & acceptum comedant.

XXXV. Proximum jam foret eorum argumenta diluere, qui nullum præceptum divinum de sumendâ Eucharistiâ à non consecrantibus, exstare contendunt, sed tantùm de referendo ipsius usu ad Christi commemorationem, quandocunque illa sumitur. Fuit hæc sententia quorumdam scholasticorum, & recentiorum doctorum, quos eò devenisse mirum non est, quum homines acuti haud difficulter perspicerent, iniquam calicis abrogationem, & tantam tamque immensam solitariarum missarum multitudinem, vix alio prætextu posse excusari vel defendi. Sed liberant nos ab hoc onere, tum alij tum Gregorius de Valentia, & Gabriel Vasquez, quorum uterque hanc opinionem multis rationibus oppugnat. Ille *non ullo modo iis assentiendum*, qui sic statuant; *nequaquam iis assentiendum* asserit. Hic verò non solùm multis probat suam sententiam, & contrariam refellit, sed definitionem etiam concilij Tridentini pro se adducit. Verba ejus digna sunt quæ adscribantur: *Concilium Tridentinum Sessione XXIII, cap. II. postquam dixit, Christum dominum discessurum ex hoc mundo ad Patrem, hoc sacramentum instituisse, subjungit: Et illius sumtione colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annunciare mortem, donec ad judicandum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius qui dixit, &c. Præcepit igitur Christus illis verbis Lucæ, sicut interpretatur concilium, ut ipsâ sumtione commemoremus passionem ejus, & non tantùm, ut quoties illud sumeremus passionem ipsius in memoriam revocaremus, ac proinde præcepit, ut sumeremus: nam qui præcipit, ut opere aliquo commemoratio fiat alicujus beneficij accepti, ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam, ut fiat opus ipsum. Quis hoc non videat?* Unum adhuc moneo. Circumstantiæ sunt, quòd Christus noctu, & post lotionem pedum, & coram XII. discipulis hanc sacram cœnam celebravit. Has circumstantias, si forte omisissent Evangelistæ in narrationibus suis, haud dubium quin nihilominus perfectam fuissemus habituri sacramenti descriptionem. Fingatur autem institutio cœnæ dominicæ absq; his actionibus, *dedit discipulis, accipite & manducate*, & quæ huc spectant narrari, non modò confusa & mutila, sed propemodum nulla apparebit sacramenti ratio.

Disp. 6. q. 8. p. 4.

Tom. 3. Disp. 213. cap. 2.

XXXVI. Tandem delabuntur ad præceptorum affirmantium naturam,

turam, & hinc corruptelæ pallium mutuari conantur: quod proinde operæ precium erit detrahi. Quum conqueruntur nostri, quòd Romana ecclesia laicos & sacerdotes non consecrantes à communione calicis per duo secula & diutiùs arcuerit, & restitutionem calicis urgent, respondet Valentia, præceptum de sumendo calice esse affirmativum, quod semper non obliget. Quum nostri solitarias missas improbant, & quandocunque sacra hæc actio celebratur, distribui aliquibus fidelibus corpus & sanguinem Domini secundum Christi institutionem postulant, regerunt Bellarminus & Valentia, *dispensationem affirmativo Domini precepto esse necessariam, & ideo faciendam quidem esse, sed pro loco & tempore. Affirmativum esse illud preceptum Hoc facite; quod proinde, ut ad usum etiam atq; administrationem Eucharistia accommodatur, non pro omni tempore & loco obliget, sed cùm id facere juxta rationem rectam, ac inprimis Ecclesia dispositionem necesse est.* Si rectè hæc dicuntur, pari ratione dici poterit, nullam esse obligationem ut panis & vinum simul consecrentur, sed seorsim vel panem solum vel solum calicem, prout ecclesiæ visum fuerit, consecrari posse. Item præteriri posse gratiarum actiones, benedictiones; quod Thomas Aquinas haut invitus concedit, modò sola illa verba consecratoria quæ vocant cum intentione conficiendi à sacerdote dicantur; imò quamvis dicantur super *pane qui venditur in foro, & vino, quod est in cellario*, nec ad finem debitum, nempe ad usum fidelium referatur consecratio, *sed in malum finem, ad irrisionem & veneficia.* Quin vel ipsa forma Eucharistiæ, quam Pontificij verbis, *Hoc est corpus meum Hic est calix sanguinis mei*, circumscribunt & includunt, omitti poterit, si ad istum modum accipiatur, quod de præceptis affirmantibus dici solet, Ea non obligare ad semper. Neq; enim affirmari poterit alio quàm affirmativo præcepto sancitam esse. Vulgatum quidem est, præcepta negantia obligare semper & ad semper, præcepta verò affirmantia non ad semper: *obligant* tamen *pro loco & tempore secundum circumstantias debitas*, uti ait Thomas, *ut quis peccet cessando ab actu illo tempore, pro quo preceptum affirmativum obligat*, ut idem docet. Divinum præceptum Abrahamo ejusq; posteris datum, ut omnis masculus circumcideretur, affirmans utiq; erat. Quum tamen Moses, etsi Deo apprime carus, filium suum non circumcidisset, voluit eum Deus neci dare. Si valuisset exceptio, quàm à præceptorum affirmantium naturâ deducunt Pontificij, potuisset excusare, Dominoq; necem intentanti, regerere, præceptum de circumcisione marium esse affirmans, & proinde *ad semper* non obligare: licuisse igitur sibi pro ratione loci & temporis obsequiũ suspẽdere. Se n. vivere in regione Madianitarũ: solũ esse ibi ex Abrahami posteris, ad quem lex ptineat; uxorem quoq; duxisse Madianitidẽ, cui

lib. 2. de missa, cap. 10.
Disp. 6. q. 11. p. 1.
3. q. 78. art. 1. ad 4.
3. q. 24. art. 2. in c. ad 2.
2. 2. q. 3. art. 2. in c.
1. 2. q. 71. art 5. ad 3.
Gen. 17.
Exod. 12.

 non

non incognitus solùm ritus sed etiam invisus. Interim flamma divinæ iræ non aliter, quàm circumcisi filij sanguine, restingui potuit.

XXXVII. Erant in veteri fœdere præcepta moralia, ceremonialia & judicialia. Moralia omnes homines adhuc obligant; reliqua verò propria genti Judæorum non item, utpote sancita non juxta immobilem & æternam divinæ justitiæ normam, sed ex libero quodam beneplacito. Ceremonialibus dici possunt successisse sacramenta Eucharistiæ & Baptismi, quorum institutio soli Servatoris beneplacito & voluntati acceptò ferenda; nobis autem Christianis non minus religiosè observanda, quàm à Judæis
In 4. dist. 3. qu. præcepta ceremonialia observabantur. Dixit alicubi Gabriel Biel, *præce-*
unicâ. *pta affirmativa magis obligare, ne contraria eis fiant, quàm quòd actus positivi circa præcepti materiam eliciantur.* Aptari hoc possit præcepto de Eucharistiâ celebrandâ, nempe magis obligare ne celebrando institutio Christi violetur, quàm ut quocunque modo & institutioni difformiter peragatur. Omnes enim, qui sacram actionem, quàm Christus peregit & instituit, ipsi etiam peragere & in rem conferre volunt; obligantur, ut quod Christus fecit, faciant, & benedictum panem ac vinum alijs comedendum & bibendum præbeant: aut, si non adsint, qui comedant & bibant, agere abstineant. Qui enim instituit actionem sine objecto præstari impossibilem, ille hujusmodi etiam objectum requirit; eoque absente actionem non vult præstari. Sicut profanatio baptismi fuerit, si aqua spargatur & formula pronuncietur, nemine interim præsente, qui baptizetur.

XXXIIX. Cæterùm præceptorum affirmantium diversitatem consideranti in promtu est animadvertere, alia unicam & simplicem actionem injungere & exigere; alia plures combinare, quæ tamen fere ad unam præcipuam referantur. Harum autem omnium, quia præcepto divino injunguntur, ea est ratio, ut unam sine alterâ præstare nefas sit. Multa ceremonialia præcepta sic sunt comparata. In Levitico docet Moses, quomodo ὁλοκαυτώματα, & cætera sacrificia summum numen sibi offerri velit. Præcipuè quidem injungebatur & intendebatur ipsa oblatio sacrificiorum, ad
Levit. 10. quam tamen rite obeundam observatu ea omnia necessaria, quæ Moses à Deo doctus fieri præscripsit. Quum *filij Aharonis Nadab & Abihu accipientes quisque thuribulum suum offerrent coram Domino ignem alienum*, id est, non sumtum ex altari, in quo, qui cœlitus missus erat, ex præcepto divino perpetuâ curâ servabatur & nutriebatur, *quod non præceperat eis, exiens ignis à conspe-*
Levit. 6. *ctu Domini examinavit eos.* Idem de agno Paschali poterit affirmari. Esus quidem agni hic actio præcipua, in quâ tamen cætera à Deo præscripta &

injun-

injuncta iidem observari oportebat, nempe ut esset anniculus & masculus, jugularetur inter duas vesperas, comederetur assus cum pane azymo à tota familiâ, totusque absumeretur. Agno autem Paschali successisse Eucharistiam omnes concedunt. Magister sententiarum, & in eum commentantes Scholastici tertio loco inter figuras Veteris Testamenti, quæ typum Eucharistiæ gesserunt, numerant: Thomas verò præcipuam hujus sacramenti, & Petrus à Soto potissimam figuram appellant. Bellarminus, ut probet verum & propriè dictum sacrificium in Eucharistiâ Deo offerri, hoc quoque argumento utitur: *Celebratio agni Paschalis*, inquit, *figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. Sed illa immolatio erat quædam victima Deo oblata. Ergo celebratio Eucharistiæ immolatio victimæ Deo oblata esse debet, ut figura figurato respondeat.* Non libet nunc disquirere, quàm scitè sacrificium propriè dictum hoc argumento probetur, neque quomodo agnus Paschalis Eucharistiæ figura dici possit; hoc saltem annoto, apprimè efficax esse argumentum, si in ipsum contra solitarias missas retorqueatur. Si enim agnus Paschalis adeo expressa est Eucharistiæ figura, necesse quoque erit, ut figura figurato respondeat, in omni Eucharistiæ administratione adesse nonnullos, qui cum consecrante presbytero corpus & sanguinem Domini sumant: nunquam enim defuerunt qui unà cum patrefamilias de agno Paschali ederent. Si persuasum habuit Bellarminus, posse se hoc argumento sacrificium suum evincere, non invidebit utique si idem ipsius argumentum missas solitarias, & quidem longè efficaciùs, prosternat. Quin ipse Bellarminus, ubi comparationem instituit inter figuram & figuratum, hoc etiam affert, quòd moris fuerit agnum immolari ad manducandum, & ut esset quasi viaticum peregrinantium. Si igitur agnus Paschalis semper ideo immolatus, ut esset in cibum familiæ, nec unquam aliam ob causam mactatus; ut figura figurato respondeat, non debet utique unquam hoc, quod vocat, sacrificium peragi, nisi sint, qui de eo participent.

Lib. 4 dist. 8. Part 3. q. 47. a. 6. Lect. 1. Lib. 1. de Missa c. 7.

XXXIX. Actiones enim, quas Christus quum hoc sive sacramentum sive sacrificium institueret, peregit, & quum dixit, *Hoc facite*, fieri jussit, omnes inter se combinatæ sunt & cohærent, ut non liceat discerpere sive divellere. Aliis verbis & argumento non utemur, quàm ad quod nobis præivit Cajetanus. *Ad intelligendum*, inquit, *demonstratum per pronomen Hoc, inspicienda sunt quæ præmittuntur. Præmittitur autem, quòd Iesus accepit panem, gratias egit, fregit, dedit, dixit; Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, vel secundum Lucam, datur; statimq; subjunxit, Hoc facite in meâ commemorationem. Pronomen itaq; Hoc, quum non arctetur ad demonstrandum aliquod*

Opusc. tom. 3. tractatu 10. c. 3.

præmissorum, *& ad aliquod præmissorum non demonstrandum, consequens est ut demonstret universitatem præmissorum.* Referri igitur τὸ Hoc ad verba, *Dedit discipulis*, tum hinc liquet, tum suprà ostensum est, denique ipsorum adversariorum Gregorii de Valentiâ, Dominici à Soto, & Vasquii confessione præceptum divinum de Eucharistiâ fidelibus dispensandâ in institutione agnoscentium, confirmatur.

XL. Talia sanè sunt, quæ pro missis solitariis tamquam legitimis, & primævæ institutioni conformibus adstruendis proferuntur, ut eas magis evertant, quam stabiliant. Quanto rectiùs autem omnes facerent, si Cyprianum docentem sequerentur, & ejus sententiæ identidem meminissent. *Si in sacrificio*, inquit, *quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, utiq; id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit.—Si solus Christus audiendus est, non attendere debemus, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consvetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Quid prohibet, quin Pontificiis solitarias missas à nobis improbari indignantibus, cum Cypriano respondeamus, operam nos dare, *ut ubique lex Evangelica, & traditio Dominica servetur, & ab eo, quod Christus & docuit & fecit, non recedatur?* Multis post Cyprianum seculis Petrus Abbas Cluniacensis, quum quidam autore Petro à Bruis spargere cœpissent, corpus Christi ab ipso tantùm in cœnâ ultimâ discipulis traditum, nec deinde datum ampliùs; proinde Eucharistiam hodie repeti & administrari non debere; vix alio argumento fortiùs hunc errorem compescuit, quàm verba *Hoc facite* urgendo. *Valde miror*, ait, *unde opinio hæc innasci Evangelio credentibus potuerit, cùm Christi verba, huic novæ hæresi contraria, sic imposita sint, ut si vel dubia, vel obscura putantur, nulla ejus eloquia vel præcepta certa vel perspicua esse videantur. Quid enim clarius aut certius dici potuit contra eos, qui corpus Christi & sanguinem per sacramentum tunc tantùm facta datave adstruunt, quàm quòd Christus, postquam dixit, Accipite, &c. statim adjunxit; Hoc facite in meam commemorationem.* Et pòst: *Hoc solum & brevissimum verbum multa & prolixissima erroris verba destruit, dum non solùm dixit, Accipite, edite, bibite, sed addidit, quòd accipitis, editis, bibitis, hoc facite. Si hoc ita est, falsum est, quod à vobis dicitur, tunc tantum hoc sacramentum à Christo datum, ab Apostolis susceptum, quia quod fecit, eos facere præcepit, QVOD EIS DISTRIBVIT, HOC EOS ALIIS DISTRIBVERE VOLVIT.* Hæc Petrus Cluniacensis. Hâc semitâ nobis quoque eundum, monendíque qui sunt adversæ partis, ut clara & perspicua Christi verba paulò diligentiùs perpendant, & tandem torquendi & depravandi finem faciant.

Epist. 63.

XLI. Claudio quidem Eſpenſæo, quum de miſsâ publicâ & privatâ ſcriberet, multaque veterum Doctorum & conciliorum attuliſſet teſtimonia, quæ pro ſolitariis miſſis facere videbantur, ubi ad inſtitutionem venit, convicto forſitan claris & perſpicuis verbis, hæc exciderunt. *Ab initio & multo pòſt non fuit ſic. Nam & Cœna dominica, cujus miſſa memorialis eſt plurium indubiè fuit, & utriuſque eadem verba ſunt, numeri quoq; pluralis. Accipite, ſumite, edite, bibite, Hoc facite,* &c. *Matth.* XXVI. *Marci* XIV. *Lucæ* XXII. I. *Cor.* XI. *ubi Paulus juxta quod à Domino acceperat, Eccleſiæ tradens, Convenientibus vobis, ait, in unum, in Eccleſiam; & Itaque fratres mei, cùm convenitis ad manducandum. Ex quâ Chriſti inſtitutione ſic habet hymnus, tanto licet poſterior, id eſt, ab Aquinate compoſitus ante annos non plus trecentos, quaſi quod prior fecit Dominus, poſteris uti facerent idem edixerit.* Et recitat verba iſtius hymni huc facientia. Non neceſſe eſt, ut hîc expendamus nonnullorum judicium, qui cavillantur, fuiſſe eum aliquando de Calviniſmo ſuſpectum: (fortè quòd in colloquio Poſſiaceno eſſet paulò moderatior, & aliquanto liberiùs in ſcriptis ſuis in curiæ Romanæ vitia inveheretur, nec ita cœco impetu ad quamvis Romani Pontificis ambitionem defendendam prorumperet, uti iis, qui ſe è JESU ſocietate eſſe ajunt, moris eſt:) hoc enim ejus ſcriptum ipſo jam mortuo, año ſuperioris ſeculi LXXIII, edidit Gilbertus Genebrardus, Archiepiſcopatu Aquenſi in tumultibus Gallicanis donatus, hoſtis Proteſtantium, ſi quiſquam alius, infeſtiſſimus: quem proinde, quamvis talem, ſuffragatorem etiam habem⁹. Eadem quoq; mens, eadem fuit ſententia Matthæi Galeni Theologi, quondam apud Duacenſes Cancellarii, ac regii primariiq; Profeſſoris, *cujus inter ſcripta,* teſte Poſſevino, *potiſſimùm excellunt Catecheſes ab auditoribus exceptæ, typiſq; à funere evulgatæ.* Is itaq; catecheſi CXXXII. in hunc modum loquitur: *Vltima pars ſacrificii eſt ipſa communio, quemadmodum in Moſaicis ſacrificiis peractâ re divinâ diſcedebant ad epulum: & hoc ſibi volunt Chriſti verba præcipientis, Hoc facite in meam commemorationem; uti univerſæ formulæ Græcorum & Miſſalis Romani ea verba tractant & exponunt.—— Vnde liquet nihil magis ad Chriſtianos pertinere, quàm iſtud auguſtiſſimum ſacrificium & de ſe ipſis peſſimè mereri eos, qui nullis machinis & adhortationibus poſſunt ad frequenter cooperandum rei divinæ & perceptionem myſteriorum impelli.* Idem alibi tractans de præceptis Eccleſiæ, *Quintum,* inquit, *Eccleſiæ catholicæ præceptum eſt à concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio, his verbis: Euchariſtiæ ſacramentum ad minus in Paſchate reverenter ſumito. Quæ verba dum diligenter mecum expendo, & contrà, quid noſtri majores factitarint; non poſſum mihi temperare, quin vel illud dicam, O noſtram ignaviam, & morum noſtrorum corruptelam!*

De miſſâ privatâ fol. 215.

Comment. in ep. ad Titum.

App. ſacro.

Catech. 96.

XLII.

XLII. Hæc Eſpenſæus & Galenus, quæ quin vis ingens veritatis expreſſerit, dubitari non poteſt. Miſſas ſolitarias omnes defenſas cupiunt, qui Romanam Eccleſiam ſequuntur, nec tamen cavere poſſunt, quin ſubinde iis non admodum æquum teſtimonium perhibeant, antiquæ verò Eccleſiæ morem plenis vehant laudibus. Quoniam igitur ex ipsâ inſtitutione ſanctis Scripturis comprehensâ de diſpenſandis ex præcepto ſemper, quoties hoc tremendum myſterium peragitur, benedicto pane & vino, atque adeo Chriſti corpore & ſanguine conſtat, poſſemus acquieſcere, nec quidquam præterea addere. Quia tamen primitiva Eccleſia, Eccleſia illa martyrum τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν ἣν εἶχον, unanimi conſenſu exemplum Chriſti ſequuta eſt, illæ primæ & vetuſtiſſimæ eccleſiæ conſenſus invictum nobis præbet argumentum, quo corruptelas, in Romanam ſive occidentalem ſequioribus temporibus invectas, oppugnemus.

XLIII. Si tamen Apoſtolos ipſos reſpicimus, quomodo illi ſe geſſerint & Dominicam cœnam celebrarint, itidem ex Scripturâ cognoſcere licet. Sic enim de primis Chriſtianis ſanctus Lucas Act. 11, 42. ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς. *Perdurabant in doctrinâ Apoſtolorum, & communione & fractione panis, & precibus.* Et Act. xx, 7. συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον, ὁ παῦλος διελέγετο αὐτοῖς. *Coactis diſcipulis ad frangendum panem diſſerebat Paulus.* Fractionem panis utrobique Euchariſtiam, retento hoc ipſo Græco vocabulo, reddidit paraphraſtes Syrus. Prior locus κοινωνίαν & κλάσιν conjungit, unde etiam Vetus interpres vertit *communicationem fractionis panis.* Poſterior docet conveniſſe diſcipulos ad frangendum panem, ſive peragendam Euchariſtiam. Nihil itaque minùs ibi locum habuit, quàm miſſa ſolitaria. Non repugnat catechiſmus Tridentinus. Sic

Part. 2. n. 46. enim docet: *Tempus olim fuiſſe, quum quotidie fideles Euchariſtiam acciperent, ex Apoſtolorum actis intelligimus. Omnes enim, qui tunc fidem Chriſtianam profitebantur, verâ & ſincerâ caritate ita ardebant, ut quum ſine intermiſſione orationibus & alijs pietatis officiis vacarent, quotidie ad ſacra domini corporis myſteria ſumenda parati invenirentur.* Conſentiunt Bellarminus & Valentinianus. Quis

Lib. 2. c. 10. Diſp. 6. q 8. p 4. enim diſſentiret? Illa videlicet κλάσις τοῦ ἄρτου obſervari ſolita propter diſtributionem fiebat. Integris enim panibus tunc utebantur, quos, ut inde ſinguli partem acciperent, frangi neceſſe erat. Amalarius ſuo adhuc tempore fractionem propter communionem factam teſtis eſt locuples: *Sacer-*

De officio miſſæ c. 24. *dos,* inquit, *gratias agit in hymno, benedicit in præſenti loco, frangit circa communionem.*

nem, postea dat ad communicandum. Fractio quidem adhuc obtinet in Romanâ Ecclesiâ, quum hostia in tres partes frangitur, sed non in hunc usum. Quid autem Caspari Casalio in mentem venit scribenti, ritum privatim celebrandi, (loquitur autem de missis solitariis) esse antiquissimum à temporibus etiam Apostolorum? De sacrif. missæ l. 2. c. 15.

XLIV. Parisiensis synodus sub Ludovico Pio habita contra solitarios consecratores, qui tum fortè exorti erant, adducit documenta Pauli, quæ utique alia esse nequeunt, quàm quæ tradidit Corinthiis, inter quæ leguntur etiam ista: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστί; τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστίν; Etsi autem hæc directè contra missas solitarias non faciunt, quum Apostolus velit, panem & vinum esse communionem corporis & sanguinis Christi, atque ideo, qui participet de pane & vino benedicto, eum quoque participem fieri corporis & sanguinis Christi: non tamen sunt nullius ponderis, quum veteres his Pauli verbis adducti proprio nomine Eucharistiam appellarint communionem, quòd ea communis esset omnibus, sive omnibus fidelibus communicaretur. Apud Clementem Romanum sic orat sacerdos: *Agamus gratias, quia dignatus est nos communione sanctorum suorum mysteriorum.* Basilius epistolâ ad Cæsariam Patriciam: *Nos quater singulis septimanis* κοινωνοῦμεν, Hoc quoque non est de nihilo, quod ait Paulus de fracto pane, *ex uno pane omnes participamus*: quibus verbis haud dubium quin ad primævum administrandæ Eucharistiæ ritum respiciat. 1. Cor. 10, 16. L. 8. Const. Apost. c. 14. 1. Cor. 10. 17.

XLV. Præterea consideratione dignum est, sanctum Paulum reprehendere Corinthios hoc nomine, quòd quum eodem loci & in ecclesiâ convenirent, non tamen alij alios exspectarent, neque pariter & unà tum Eucharistiam, tum ei conjunctas agapas celebrarent, sed divisim & seorsim alij hîc, alij isthic (præeuntibus sine dubio factionum & sectarum, quæ inter ipsos erant, ducibus, & singulis suos aliquot congregantibus) coirent, & proprias sive privatas cœnas præoccuparent. Hoc, inquit, *non est Dominicam cœnam edere.* Jubet igitur eam ad exemplum Christi ab omnibus simul & junctim peragi, alios ab aliis exspectari, & quod sive in sanctâ cœnâ sive in annexâ agape edatur & bibatur, omnibus commune esse, ne *hic esuriat, ille ebrius sit, contemnatur Ecclesiâ Dei, & pudefiant inopes.* ἔδειξεν, inquit Theodoretus, τῆς δεσποτικῆς τραπέζης τὰς κοινὰς τραπέζας, quales scilicet alias ab aliis separatas instituebant Corinthii, ἐναντίας ἐν διαιρέσει. Ἐξ ἐκείνης μὲν γὰρ ἴσως μεταλαμβάνουσιν ἅπαντες, ἐνταῦθα δὲ ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει. In 1. Cor. 11.

XLVI. Mirari libet, quòd Bellarminus existimat, hinc nihil contra missas solitarias evinci posse. Sanctum enim Paulum reprehendere cœnam privatam, à quâ excludantur alii, non ad quam non cogantur: à missis autem quæ in Romanâ ecclesiâ celebrentur, neminem excludi. At nonne satis excludunt, qui quum ignorare non possint, neminem futurum, qui secum communicet, nihilominus missas magno numero celebrant? & quidem in uno & eodem templo diversi diversas simul & semel, aut alii paullò maturiùs, alii seriùs, planè quemadmodum Corinthii Cœnas suas, quibus tamen Dominicam videri volebant imitari & exprimere, discerpebant, & unam communem in varias distrahebant, quod summopere improbat Apostolus. Accedit, quòd *nullus sibi peccati mortalis conscius ad sacramentum Eucharistiæ accedere debeat absq; præmissâ sacramentali confessione*, ut sancit Concilium Tridentinum. Quod ipsum juris divini esse docet Azorius. Quotusquisque verò est, qui immunem se esse à peccato mortali promittere sibi ausit? Annon itaque satis excludunt, qui non modò nullius adventum præstolantur, sed etiamsi sint aliqui præsentes, eorum tamen neminem invitant, nemini spatium indulgent se præparandi & sua peccata confessione expiandi? sine quâ tamen quemquam admittere ipsis integrum non est. Celebrant igitur innumeras missas ita, ut nec intendant sive proponant ipsi quemquam participem facere, nec quisquam alius cupiat particeps fieri; atque adeo Deo quasi illudant, quum in hunc modum compellant: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, —— ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumserimus, omni benedictione cœlesti & gratiâ repleamur.*

Seff. 13. c. 7. & can. 11.
Inst. Mor. parte 1. lib. 10. c. 31.

XLVII. Nunc tandem etiam expendamus, quid Ecclesia Apostolos proximis seculis subsequuta sibi in hujus sacramenti administratione observandum putaverit, & quomodo reapse administraverit. Nec enim fieri potest, ut sinceram doctrinam & legitimam administrandi rationem aut ignoraverit, aut non conservaverit. Instituit hanc viam ante complures annos Joannes Juellus Anglus, Sarisburiensis episcopus, qui quum in publicâ concione Londini habitâ ad ecclesiæ sex primorum seculorum testimoniū provocasset, nactus est adversarium Thomam Hardingum, itidem Anglum, qui Romanam ecclesiam ex hoc propugnaculo, per quod defendi posse à nonnullis credebatur, deturbari nollet. Egerunt primo loco de missis privatis: ita enim solitarias appellant, uti etiam Augustana confessio. Et Juellus sanè animosè: *Si quisquam eruditus adversarius, sive universi simul adversarii nostri ullam luculentam aut ex antiquo quoquam & catholico patre, aut ex vetusto aliquo Concilio, aut è sacrosanctis Dei scripturis sententiam, ullúmve Ecclesiæ primitivæ exemplum*

in

in medium proferre possint, unde liquidò clareq; constet, ullam in toto orbe per sexcentos integros à Christo annos Missam privatam exstitisse, ego me manus daturum, atq; in contrariam sententiam iturum spondeo. Hardingus equidem proferre nullum potuit. Unde patet, quàm præposterè & iniquè Romanæ ecclesiæ doctores odiosâ novatorum appellatione nos verberent, ipsi plerumque novatorum maximi. Judicent enim, quos studium partium nondum penitus transversos egit, utri novatores jure meritoque audiant, illine, qui quæ Christus, Apostoli, Ecclesia Apostolica, & sancti omnes intra sex septémve secula docuerunt, observarunt, & egerunt, similiter docent, observant, agunt, an verò qui corruptelas sequioribus & posterioribus demum seculis invectas defendunt & tuentur. Valeant igitur, qui novatores nos appellant, & interim ipsi amplectuntur & sequuntur novitatem introductam & adsertam *ab hominibus* Clemens 8.
deserentibus antiquitatem, universitatem, consensum, & abnegantibus veritatem à Epistola ad
Christo traditam, ab Apostolis promulgatam, à fortissimis martyribus sanguine confir- Justum Calvi-
matam, à sacrosanctis œcumenicis conciliis declaratam, à SS. Patribus per tot seculorum num.
ætates unanimi atq; admirabili sensu & consensu prædicatam, & observatam. Id enim mutatis nominibus de adversariis in hâc controversiâ pronunciari rectè potest, quum pro suâ parte veteris Ecclesiæ testimonia adducere conatus Bellarminus propemodum desperare incipiat. Neq; enim aliis argumentis vel testimoniis quàm conjecturis nititur, neq; legi usquam expressè oblatum â veteribus sacrificium sine communione alicujus vel aliquorum præter ipsum sacerdotem, non ægrè fatetur.

XLIIX. Sunt verò inter scriptores Pontificios, iiq; magni nominis, qui Liturgias nonnullas, quas tamen esse ὑποβολιμαίους multis rationibus facilè constare poterat, tamquam antiquissimas venditant, & sub nomine Apostolorum & Evangelistarum Ecclesiæ obtrudunt. Ejus generis sunt Liturgiæ quas vocant Petri, Marci, Jacobi, Matthæi, quæ & Æthiopum, suppositiæ omnes & Apostolorum ætate longè inferiores. Lubet tamen eas in primâ acie collocare, quia ita videtur adversariis. Nobis enim earum autoritas, quam non agnoscimus, non obest: illos autem feriet, si quid inde contra Romanæ ecclesiæ consuetudines afferamus, qui eorum esse volunt, quorum nomina falsò præferunt. S. Petri Liturgiam græcolatinam edidit Guilhelmus Notis in
Lindanus, & peculiari apologiâ defendit. Eandem Petro asserit, & cum mis- Const. Apost.
sâ latinâ Ecclesiæ Romanæ eandem esse ait Franciscus Turrianus, homo ad- lib. 8. c. 12.
serẽdis & propugnandis scriptis suppositiis natus, ut prorsus sit ex eorũ nu- Observ. in E-
mero, de quibus Hugo Menardus: *Sunt hodie nonnulli, qui vetera quedã monu-* pistol. s. Bar-
mẽta à se edita, continentia meras nutricularũ nænias, seu potiùs ægroti veteris somnia, nabæ.
quæ ad primum intuitum viris doctis nauseam moveant, tantâ contẽtione, quamvis sine

 ratio-

ratione defendere conantur, *ut velint ea scriptorum omnium veterum ac recentiorum autoritati praeferri.* Talem operam impendit epistolis, quae supponuntur primis & antiquissimis Romanae ecclesiae episcopis, ut auctoritati eorum, quantam hodie sibi arrogant, primaevae antiquitatis opinio concilietur. Nolo jam Davidis Blondelli accuratissimam industriam depraedicare, qui ita hos malè consutos centones dissolvit, ut unicuique scriptori, quod suum est, restituerit. Nolo, inquam, huic rei nunc immorari. His enim ficulneis testimoniis Pontifici sive auctoritas sive infallibilitas non tantùm non asseritur, sed suspecta potiùs redditur. De Liturgiis sermo erat. In iis omnibus & singulis aperta & manifesta communionis populi cum sacerdote indicia. Jacobi tota profectò ita composita, ut solitariis missis, nisi mutiletur, adhiberi nullo modo possit. Ipsas qui volet, adeat. Nam omnia huc transferre, quum excrescat praeter opinionem exercitatio, non licet.

XLIX. Majoris momenti sunt scripta Clementis Episcopi Romani, & Dionysii Areopagitae. Etsi enim haec quoque scripta, (exceptâ epistolâ Clementis ad Corinthios nuper admodum ex Oriente advectâ,) non incidunt in eam aetatem, quam venditant, antiqua tamen esse nemo est qui neget. Collectionem certè Constitutionum Apostolicarum esse antiquissimam, & fortè ante concilium Nicaenum factam, subinde verò interpolatam & auctam, magni viri sunt, qui suspicantur: Clemens igitur multis capitibus omnes τοῦ κυριακοῦ δείπνου ritus describit, & ostendit, quomodo non solùm omnes praesentes corporis & sanguinis dominici participes facti fuerint, sed preces etiam recitat, missis solitariis è diametro adversas. *Episcopus porrigit oblationem, & dicit, Corpus Christi: qui accipit, dicit Amen. Diaconus tenens calicem tribuit aliis, dicens, Sanguis Christi, calix vitae: qui bibit, dicit Amen.* Post communionem orat Episcopus, *Domine Deus omnipotens — gratias agimus tibi, quòd nos dignatus es participatione sanctorum tuorum mysteriorum.* Turrianus in Explanationibus optat, arcere peccatores publicos ab audiendis missis, tum praesertim, quando fit consecratio & ostensio. Rectè hoc quidem quòd umbram aliquam poenitentiae publicae restitutam velit. Olim tamen arcebantur à communione, Turrianus optat arceri ab ostensione, ut agnoscas factum esse ἴαμα. Sic omnia in pejus ruunt.

L. 8. Const. Apl. c. 12. 13. 14. & 15.

In cap. 12 lib. 8.

L. Redeo ad Dionysium, qui libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ in hunc modum scribit: *Pontifex divina munera reverenter ostendens ad sacram illorum communionem & ipse convertitur, & reliquos ut communicent hortatur. Sumtâ demum atq; omnibus traditâ communione divinâ gratias referens finem mysteriis imponit.*

ponit. Ita vertit Ambrosius Camaldulensis. Jacobus Faber Stapulensis commentario in hunc locum instituit comparationem inter administrationem hujus sacramenti, *ex ritu Apostolico*, ut ipse loquitur, & quam *præsentis* Romanæ *ecclesiæ ritus observat*. Quod Dionysius dicit sacerdotem sacra munera ostendere & sumere, id notat adhuc hodie observari: sed quum sequitur, *Reliquos ad sanctißimam & consummantem communionem adhortatur*, (sic enim ipsi libuit efferre (tare) tacet, quòd sciret diu esse, ex quo id ut plurimùm non usurpatur. Verba Clementis, Dionysii, & Liturgiarum publicarum aperta omnia & plana. Non refragatur Catechismus Tridentinus, fatetur enim *diu in Ecclesiâ illum morem fuisse, ut sacerdos peracto sacrificio, cùm Eucharistiam sumpsisset, ad populum, qui aderat, conversus, his verbis ad sacram mensam fideles invitaret, Venite fratres ad communionem. Tunc qui parati erant, eos summâ cum religione sacrosancta mysteria sumsisse:* Ita Catechismus Tridentinus. Part. 2. c. 4. n. 46.

LI. Vidimus Liturgias dispensationem sive distributionem testari. Sunt etiam canones, qui seriò præcipiunt, ut id fiat, quod Liturgiæ factum esse tradunt. Inter Canones Apostolicos, quorum quosdam verè esse tales agnoscit Salmasius, nonus, aut juxta alios decimus, hic est: Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. *Omnes fideles, qui ingrediuntur & Scripturas audiunt, non autem permanent in oratione & sanctâ communione, velut inordinatum quid in ecclesiâ facientes, separari oportet.* Recitat eundem canonem Gratianus, sed paullò aliter, quàm est in Græco textu, ut propemodum antiquissimus primæ ecclesiæ ritus, cujus hîc fit indicium, tenebris involvatur, & vix appareat. Quò facit etiam Glossa, præfigens hoc summarium: *Communione priventur, qui usq; ad finem missarum solennia non audierint.* Et verbis, *Nec sanctam communionem percipiunt*, addit, *tempore deputato.* Sensus autem antiqui hujus Canonis est manifestus. Possit illustrari verbis Theodosii Imperatoris, qui interrogatus ab Ambrosio, cur in choro apud cancellos subsisteret, respondit, ὡς προσμένει τὴν τῶν θείων μυστηρίων μετάληψιν. Id mirari libet, potuisse inveniri hominem haut vulgariter eruditum, & consequentias texendi peritum, qui ex hoc canone solitarias missas in Ecclesiâ Apostolicâ in usu fuisse probari posse putaverit. Atque is est Gregorius de Valentia, hunc in modum disserens: *Missas in quibus solus sacerdos communicat, & non etiam alii, olim fuisse in usu, manifestè apparet ex præceptis ecclesiasticis, quæ olim pro variâ ratione temporum data fuerunt fidelibus de communicando: in quibus præceptis planè supponitur sæpe contigisse, ut absq; ullis communicantibus offerretur sacrificium,*

1. de Consecrat. c. 6.

Disp. 6. q. 11. p. 3.

ficium, idq; rectè alioqui, quantum erat ex parte sacerdotis & sacrificij, ut cum in canone X Apostolico & in concilio Antiocheno canone II sub excommunicatione jubentur fideles communicare in sacrificio. Hoc sanè est antiquos canones pervertere, aut nemo umquam dici poterit pervertisse. Neq; enim ex illis, qui adducuntur, colligi potest, oblatum aliquando sacrificium, ut Bellarminus loquitur, absq; ullis communicantibus, sed quòd fideles aliqui in cœtu præsentes interdum non communicarint: seriò autem voluisse priscos illos Patres, ut deses adstaret nemo, communicarent omnes.

LII. Aliter Bellarminus. Non interdicitur tamen, inquit, sacerdoti offerre sacrificia, si populus non adsit, vel communicare nolit. Sed idipsum nec à Christo instituente, nec à primâ & Apostolicâ ecclesiâ institutioni inhærente ullibi permittitur. Quin si hujus dicti Apostolici canonis, & aliorum, quos primis Romanis episcopis supponunt, autoritas salva maneat, fieri nequit, ut ulla λειτουργία celebretur, in quâ nemo sit qui simul participet. Quum enim canon ille jubeat omnes præsentes communicare, Soterem verò Pontificem sanxisse velint, ut presbyter quando sacrificium offert, duos secum habeat, qui respondeant; vel hos solos autoritas canonis cogit, ut simul cum sacerdote sacra symbola sumant. Quin si vel unus adsit, quod necessarium esse omnium fere est sententia, & is ex præscripto Canonis particeps fiat, solitaria nondum erit missa. Azorius, quum hoc aliisque canonibus missas privatas à Lutheranis oppugnari dixisset, *Respondeo*, inquit, *hos canones id decernere, quod tunc de more fiebat, at progressu temporis usu abrogati fuerunt.* Abrogatos esse in Romanâ ecclesiâ pravâ paullatim invalescente consuetudine, fatemur & dolemus. Si verò antiquæ ecclesiæ dogmata & sanctiones amplectimur & sequimur, quis non videat oportere, quandocunque tremēduum illud mysterium peragitur, semper aliquos, etiamsi fortè sint paucissimi, cum sacerdote salutarem cibum sumere? nempe illa publicis decretis sanxit, ut in sacris conventibus, quotquot terribilis vox diaconi non expulisset, casto pacis osculo, & devotâ corporis & sanguinis Domini sumtione, communionem cum capite Christo & membris testatam facerent.

Institut. Moral. l. 10. c. 35. n. 15.

LIII. Suppar Clementi fuit Anacletus, itidem Papa Romanus, ex cujus epistolâ primâ hæc solent afferri verba: *Peractâ consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia.* Recitat eadem Gratianus. De solis clericis, de quibus paullò antè sermo fuerat, nonnulli accipiunt. Quibus videri possit favere canon Apostolicus alterum illum, quem paullò antè produximus, proximè antecedens. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ λόγου, τοῦ ἱερατικοῦ

De consec. dist. 2. c. 10.

προσφορᾶς γινομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ ἐὰν ᾖ εὔλογος, συγγνώμης τυγχανέτω, εἰ δὲ μὴ λέγῃ, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος. *Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, aut alius ordinis Ecclesiastici, oblationis facta particeps non extiterit, causam dicito: & si justa fuerit, veniam consequatur: sin minus, à consortio segregetur, ut autor offensionis factus populo, & suspicionem prebens in offerentem.* Cæterùm jam pridem Johannes de Ragusio, in oratione de communione sub utraque specie coram Patribus concilii Basileensis habitâ, verba ista Pseudoanacleti de laicis & laicorum comunione accepit. Similiter Martinus Navarrus, & Gabriel Vasquez: item Josephus Angles. Quin verba ipsa, *Ecclesiasticis carere liminibus*, si veterem phrasin aliquo saltem modo imitentur, non patiuntur se aliter, quàm de laicis accipi. Neque enim commodè limen ecclesiasticum vel pro dignitate clericali, vel pro limine solius sanctuarii, quod Græci βῆμα, & τὰ ἔνδον, *interiora*, nos hodie chorum appellamus, quem solis clericis intrare fas erat, intelligi potest. Quicquid verò sit, sive de solis clericis, sive de quibusvis fidelibus verba ista interpreteris, nullas possunt ferre missas solitarias. Habeat secum celebrans testes clericos, qui adsint, qui cum ipso consecrata sumant, & nemo erit, qui hujusmodi missas impugnet. Illas autem solitarias ferre non possunt, qui institutionem Christi venerantur, & praxin veteris ecclesiæ sibi imitandam proponunt. Manual. c. 21. n. 59. Disp. 214. c. 3. Quæst. 2. de Euchar. art. 8.

LIV. Sanctus martyr Ignatius Ephesios ad frequentem communionem incitat his verbis: σπουδάζετε πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν Θεοῦ καὶ δόξαν. ὅταν γὰρ συνεχῶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνησθε, καθαιροῦνται αἱ δυνάμεις τοῦ σατανᾶ, καὶ ἄπρακτα αὐτοῦ ἐπιστρέφει τὰ πεπυρωμένα βέλη πρὸς ἁμαρτίαν. *Festinate frequenter convenire ad Eucharistiam & gloriam Dei. Quando enim assiduè hoc ipsum agitur, labefactantur vires Satanæ, & ignita eius ad peccatum proritantia iacula irrita resiliunt.* Baronius hæc verba de quotidianâ communione interpretatur. Quis verò credat, solitarias missas in usu fuisse, quando fideles tam seduli & frequentes communicabant? Idem piissimus martyr Philadelphenses monet, ut unâ fide, unâ prædicatione, & unâ Eucharistiâ utantur, nam εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐτρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη. Panis omnibus fractus, & omnibus distributus calix, quomodo in ecclesiâ antiquâ tremendum hoc mysterium peractum, indicant. Bellarminus excipit, id exemplum quidem esse, non autem præceptum. Equidem præceptum continetur ipsâ Christi institutione; quam quomodo antiqua ecclesia intellexerit, & quòd præcepti loco habuerit, praxi suâ expressit. Si exorti fuissent, qui vel calicem populo denegare, vel soli mysteria celebrare ausi essent, non dubium, quin eadem decretis suis & canonibus illos coërcuisset. Ann. 57. n. 154. Lib. 4. de Euchar. c. 26.

Sed

Sed quum eò audaciæ nemo progressus fuerit, nihil etiam adversus hanc corruptelam decerni potuit, nec exstant canones, quibus prohibeatur, sed in promtu sunt exempla & documenta, quæ nullas solitarias, nec aliasi quàm quibus communicantes interessent, in totâ ecclesiâ obtinuisse testentur.

LV. Inter veteres autem, si quisquam alius, maximè audiendus Justinus, Philosophus & Martyr, qui quum in Apologiâ Imperatori Antonino Pio homine Christianorum oblatâ Christianos omnes defendat, & ut cognitâ eorum innocentiâ, à cæde innoxiæ turbæ abstineatur, ritus Christianæ ecclesiæ describat, eos utique perscripsisse dicendus est, quos tum quidem tota ecclesia observabat. Solennis igitur & perpetuus illius ecclesiæ ritus, ut panis & vinum distribuerentur. Verba Justini, quia obvia, apponere non libet. Sic autem ritus liturgiæ describit, ut antiqua illa ab hac novâ immane quantum discrepet. In illâ adstat populus, qui preces cum præside jungat: in hac solitariâ sæpissimè non nisi quispiam puer, aut campanarius, ut concilium Coloniense appellat. In illâ, qui adsunt, omnes percipiunt corpus & sanguinem dominicum: in hac solus sacerdos. In illâ populus participat benedictum panem & vinum: in hac, si quandoque participat, solum panem. Quàm dissimilis igitur hodierna Pontificia missa illi antiquæ Apostolicæ? Lubet adscribere verba Ludovici ab Alcasar Jesuitæ: *Celebrationem missarum in ecclesia nascentis exordiis comitabatur fere sacra Christi corporis ab adstantibus susceptio. Quare ubi mentio fit missarum ecclesiæ primitivæ, eo ipso innuitur circumstantium devotio atque communio.* Fatetur sanè, qualis fuerit antiquorum missa. Mirari autem subit, quo consilio Claudius de Sainctes in sua Liturgica Justini descriptionem transferre ausus fuerit. Ostendat ex eâ solitarias missas in antiquâ ecclesiâ usitatas, vel fidelibus solum benedictum panem fuisse distributum, & liber erit ab imprudentiæ notâ, quam incurrit.

In cap. 10. Apoc. v. 10.

LVI. Idem sanctus martyr docet, solitos diaconos τὰς ἁγίας μερίδας, ut vocat Evagrius, ad absentes deferre. Id privatam communionem appellat Hardingus, & prolixè persequitur, multaque alia testimonia ex antiquis Patribus congerit. Constat quidem solitos in veteri ecclesiâ Christianos panem & vinum secum domum deferre. Basilius ait *longam esse consvetudinem, quæ apud omnes in eremo degentes, & in ipsâ Alexandriâ & Ægypto frequens obtineat.* Et diræ persequutiones occasionem præbuerunt, quibus cessantibus ipsa etiam abrogata est, & disertè improbata à conciliis Cæsaraugustano & Toletano. Quia igitur abolita hodie nec in nostris ecclesiis, nec in Romanâ obtinet, poterat utique totum hoc, quod affert

Can. 3. Can. 14.

Har-

Hardingus, præteriri. Quia tamen antiqua ecclesia indubiè non sine gravi causâ fidelibus, nunquam inter lictorum fasces & strepitus clamantis populi, *Christianus est, ad leonem*, de vitâ securis concessit, ut secum sanctum hoc pignus domum asportarent, missa verò solitaria ex pravâ consvetudine obrepsit, non ferendum est, ut par utriusque esse ratio existimetur. Quis autem non videt, quàm ingens discrimen, missamne solus celebres, an solus sumas domi tuæ sacra symbola. Id factum nunquam, hoc frequenter. Qui enim vel propter jejunium spontaneum, vel aliam ob causam nollent participare in templo, ii suam panis particulam, & vini portiunculam domum secum deferebant, & sumebant quando visum fuit. Sed hæc communio pars erat quædam publicæ illius communionis in templo peractæ. Manifestius hoc est de illis, ad quos absentes benedicta symbola diaconi detulerunt. Eadem enim ibi communio, nisi quòd non fieret in ecclesiâ, in conspectu cæterorum fidelium.

LVII. Frequens admodum apud veteres oblationum mentio. Sacrificia eas appellat Irenæus. In Liturgiâ Ecclesiæ Romanæ hæsit inde nomen Offertorii. Offerebatur autem in sacris synaxibus à populo panis & vinum, tum in clericorum & pauperum alimenta, tum etiam in materiam administrandæ Eucharistiæ. Hæc consvetudo diu admodum mansit in ecclesiâ, qualis cum missis solitariis stare non potuit. Quisquis enim offerre poterat, potuit etiam communicare; imò quicunque offerebat, etiam communicabat. Totum autem populum sive præsentes omnes obtulisse constat ex antiquis liturgiis, & veterum scriptis. Ambrosius alicubi ait, omnes Christianos omni die dominicâ debere offerre & communicare. Etiam pauperes obtulisse ex illâ Cypriani objurgatione constat, quâ increpat matronam divitem, quæ nihil dederat: *Locuples & dives es*, inquit, *& dominicum celebrare te credis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Hæc itaque publicè offerendi consvetudo quamdiu viguit, nullæ missæ solitariæ, nullæ sine communicantibus. Unde Walafridus Strabo de rebus ecclesiasticis cap. XXII. *Per totam Missam pro eis quàm maximè, & quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt atque communicant.* Lib. de opere & eleemosyn.

LII. Pontificii scriptores hodie - ubi de Eucharistiâ agunt, totam commentationum molem in duas ut plurimùm partes dividunt. In unâ agunt de Eucharistiâ ut sacramento, in alterâ ut de sacrificio. Hic magnopere extollunt fructum, qui redeat ad eos, qui missificantem sacerdotem attentè audiant. At Tertullianus: *caro corpore & sanguine* Lib. de Resurr. carnis.

Christi

Christi vestitur, ut & anima de Deo saginetur. Hæc videlicet veterum Patrum doctrina, fructum sanctissimi hujus mysterii à dignâ corporis & sanguinis Domini perceptione pendere. *Non tamen incognitus veteribus*, inquit Bellarminus, *usus assistendi sacrificio, & tamen non communicandi sacramentaliter.* Etsi nolim quenquam defraudare suo fructu, qui devotâ mente, dum sacra peraguntur, assistit: non tamen ideo aliter, quàm Servator sanxit, Eucharistiam celebrare fas est, neque negligenda ipsa perceptio. Chrysostomo quidem & Augustino non probatum illum adsistendi sine communione morem, voces quibus ejusmodi adstantes perstringunt, testantur.

LIX. Qualis ætate Tertulliani, Clementis Alexandrini & Cypriani fuerit Liturgiæ ratio, non opus est multis probare. Quæ Beatus Rhenanus de antiquo celebrandæ Eucharistiæ ritu scholiis in librum Tertulliani de coronâ militis scripserat, Pamelius in notas ad librum de oratione translata auget & corrigit. Ad illa igitur Rhenani verba, *Post dictam orationem dominicam populus communicabat: unde & adhuc in hunc usque diem ultimo cantico communionis nomen mansit*; sic commentatur: *Hoc ex Liturgicis scriptoribus notius est, quàm ut probatione indigeat.* Gratias agimus Pamelio pro ingenuo &
1. Stromat. amplo testimonio. Accedat tamen & Clemens Alexandrinus, qui nostræ sententiæ pondus aliquod addat: *Εὐχαριστίαν τινὲς διανέμαντες*, inquit, *ὡς ἔθος, αὐτὴν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν. Eucharistiam quidam, ut mos est, distribuentes permittunt unicuique ex populo partem accipere.* Accedat etiam Cyprianus, qui commentans in orationem dominicam; panem quotidianum esse salutarem illum cibum corporis & sanguinis Christi cum magistro suo Tertulliano, (cujus ætate in stationibus diebus Veneris & Mer-
Lib. 1. obs. 16. curii habitis omnes communicasse autor est Gabriel Albaspinæus,) contendit & hæc optimè ad Africanæ Ecclesiæ consuetudinem accomodat. Ut verò hoc etiam addam quî potuere solitariæ missæ celebrari, tanto desiderio sumendæ Eucharistiæ omnium animis ardentibus? Nihilominus Franciscus Svarez Defensione fidei, ut vocat, catholicæ ex Cypriano, qui in carcere apud cõfessores presbyteros singulos cum singulis diaconis obtulisse scri-
In Ostens. errorum, Fr. Svarez. cap. 2. n. 17. bit, probare ausus est missas privatas. Sed hoc quicquid est (est autem non magni momenti) diluit vir eximius M. Antonius de Dominis: quæ huc transferre opus non est.

LX. Affinis est historia celebratæ à Luciano martyre in carcere Eucharistiæ ijs, quæ Svarezium ex Cypriano attulisse diximus. Incidit ea in initium fermè seculi quarti, & facem nobis præfert ad illa dextrè explicanda, quibus sive in domo aliquâ privatâ, sive in oratorio & episcopio sacrificium oblatum esse memoratur. Libet eam narrare verbis Philostorgij, scriptoris

Arian

Ariani, cujus Epitomen à Photio olim excerptam, ante paucos annos Genevæ edidit Jacobus Gothofredus. Ita vero ibi: Ὅτι τὸν μάρτυρα Λουκιανὸν, φησὶ, μέλλοντα τελευτᾶν, καὶ μήτε ναὸν, μήτε θυσιαστήριον τῆς τυραννικῆς βίας παρεχούσης, ἀλλὰ μηδὲ ἀντικινεῖσθαι τῶν δεσμῶν καὶ πληγῶν συγχωρούντων ἐν τῷ οἰκείῳ ἀνακείμενον στήθει τὴν φρικτὴν θυσίαν τελεσάμενον, οὕτω τε αὐτὸν μετασχεῖν, καὶ τοὺς ἄλλους μεταλαβεῖν τοῦ ἀχράντου θύματος ἐπιτρέψαι. Ἐπελέσθη δὲ ἡ ἱερουργία ἐν τῇ εἱρκτῇ, τοῦ κυκλώσαντος αὐτὸν ἱεροῦ χοροῦ, ὡς ἤδη ἀποβιοῦντα, ἐκκλησίας σχῆμα, καὶ ἀσφαλείᾳ τοῦ μὴ καθορᾶσθαι τὰ δρώμενα παρὰ τῶν δυσσεβούντων ἀναπληροῦντος. *Ait, Lucianum martyrem cùm moriturus esset, visq; tyrannica neq; templi neq; altaris copiam faceret, imò ne moveri quidem vincula plagæq; permitterent, in proprium pectus cubantem tremendum ita sacrificium peregisse, ipsumq; participasse & ut alii incontaminato sacrificio participarent mandasse. Peractum verò hoc sacrum ministerium in carcere, circumstante eum in orbem sacro cœtu tanquam jam morientem, Ecclesiæ speciem ita simul & munimentum eo præbente, ne ea quæ à piis peragebantur viderentur.* Ita Philostorgius. Eandem rem fusè persequitur Baronius, sed Paulò aliter enarrat. Desinant igitur nobis importuni homines Gregorium Nazianzenum, Johannem Eleemosynarium & Basilium opponere, qui in oratoriis sacra fecerint. Desinant in posterum exemplum Cassii Narniensis Episcopi, & illius presbyteri, qui teste Augustino, in domo rusticâ ad pellendos dæmones sacrum obtulit; desinant, inquam, hæc & similia objicere. Si Lucianus in tetro carcere, sæviente adhuc persequutione, ubi rem divinam fecit, omnes præsentes corporis & sanguinis Dominici participes fieri voluit, quid de cæteris sit statuendum, in promtu est colligere.

Lib. 2. Tomo 14.

Ad annum 311.

LXI. Quomodo hoc quarto seculo Eucharistia administrata, vel solus canon secundus concilii Antiocheni (xxci. in codice canonũ universæ ecclesiæ) probaverit: Πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας μὴ κοινωνοῦντας δὲ εὐχῆς (τελευταίας. hanc vocem in vetustis exemplaribus reperiri adscriptã Salmasio credimus,) ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας. *Quicunq; ecclesiam ingressi & audientes Sacras scripturas non communicant in oratione cum populo, vel aversantur perceptionem Eucharistiæ per quamdam perversitatem, ex ecclesiâ ejiciantur.* Quid sibi hic canon velit, non opus est aliunde arcessere, Quæ tamẽ Apostolici noni sive decimi, & alterius è nothâ Anacleti epistolâ pridem productorũ, hæc etiam hujus est sentẽtia.

LXII. Conveniunt canoni Antiocheno Liturgiæ, quæ exstant sub nomine Basilij magni. Duæ autem sunt, una Græca, altera quæ Anaphora etiam Græco nomine à Syris appellatur, ex Syriacâ linguâ ab Andrea Masio conversa. Ex utraque contra missam privatam complura possunt promi

 argu-

argumenta. Quod Græcam Basilij Liturgiam attinet: *Pro circumstante populo, & exspectante eam, quæ est apud Deum divitem misericordiam Dominum postulemus.* Idem repetit presbyter: pòst diaconus alta voce: *Nemo de catechumenis remaneat, omnes fideles iterum atque iterum Dominum in pace postulemus.* Tandem: *Et cantant cantores communionem, & sic* COMMUNICANT OMNES, *post communionem autem portantur munera in sacrarium.* Quid verò apertius pro Concilij Antiocheni canone dici poterat? sancit synodus, ut omnes communicent, Basilius docet communicasse omnes. Synaxes verò quater habitæ singulis septimanis Cæsareæ Cappadociæ: Ἡμεῖς μέντοι γε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, inquit Basilius epistolâ ad Cæsariam Patritiam, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ᾖ μνήμη μάρτυρός τινος. *Quater nos singulis septimanis communicamus, dominico die, feriâ quartâ, & in parasceve, & sabbato, sed & in diebus etiam aliis, si celebretur martyris alicujus memoria.* Ecce quàm frequentes in corpore & sanguine Domini percipiendo Cappadoces. Haud multùm abit Chrysostomi Liturgia, in quâ, etsi variè interpolatâ, manifesta communionis Episcopi, clericorum & populi indicia. Scholion verò illud de solo sacerdote communicante à Leone Thusco, qui ad sua magis tempora, quàm ad Chrysostomi respexerit, adscriptum esse jam olim monuit Espensæus. Sed regerat fortè aliquis imprudentem me esse, qui Basilium & Chrysostomum in subsidium vocem, quum tamen utrumque missas sine communicantibus constet celebrasse: id enim ita penitus persvasum esse Hardingo, ut in his palmarium constituat argumentum. Nec illum Romanæ Ecclesiæ πρόμαχον Bellarminum tacere, Amphilochium sanctissimum episcopum, de vitâ Basilij commentantem, verbis apertis & planis hoc testari. Fateor equidem Amphilochium hæc narrare, sed ementitum, planum, hominem mendacem, indignum tam sancti Episcopi fucato nomine, quod etsi non agnoscit Hardingus, agnoscunt tamen Baronius, Bellarminus, Possevinus alijque Chrysostomus quidem ait: εἰκῇ θυσία καθημερινὴ, εἰκῇ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων. *Frustra sacrificium quotidianum, frustra adstamus altari, nemo qui participet.* Nemo videlicet vel admodum pauci laici, (vulgaris est ejusmodi hyperbole) propter quos, ut etiam ipsi communicarent, Eucharistia celebratur. Nam in Liturgiâ ejus adsunt clerici, qui participes fiant.

Homil. 61. ad populum Antioch.

LXIII. Quid de eis, quæ de Gregorio Nazianzeno, Johanne Eleemosynario & aliis narrantur, statuendum sit, jam antè dixi. Nazianzenum autem quod attinet, respondeat etiam Espensæus: *Hæc*, quæ videlicet

de

de Nazianzeno memoraverat, *fateor*, ait, *non video, qui probent, aut etiam ad missam privatam pertineant.* Et paullò pòst: *Quæ tum orthodoxi sævientibus persequutionibus, sacra in locis quamlibet aliàs privatis faciebant, doctrina, oblatio, communio, aliaque mysteria, publica si minùs erant, habebantur tamen. Quod autem extra hujusmodi casus oblatum privatim allegatur, ut ex Paulino D. Ambrosium Romæ apud clarissimam quandam invitatum, ut sacrificium in domo offerret, & ex Augustini civitate lib. XXII. cap. IIX. eo absente unum ex eius presbyteris perrexisse in cujusdam viri domum, & obtulisse ibi corporis Christi sacrificium: hæc, inquam, & similia pro privatarum missarum usu & vetustate probabilia quidem sunt, sed minùs aperta. Nec enim qui oblatum dicunt, communicatum negant, etiamsi taceant.* Idem esto judicium de Cassio Narniensi Episcopo, qui, ut est apud Gregorium, morti proximus *in episcopii oratorio missas fecit, & manu suâ corpus dominicum pacemq; omnibus tribuit.* Idem de eo, quod Augustinus memorat, *oblatum pro matre suâ sacrificium cadavere iuxta sepulchrum constituto:* Non negatur esse communicatum. Militat autem pro nobis publica consvetudo, nempe solitos communicare, qui adessent; quæ Fulgentii Ruspensis episcopi ætate adhuc in Africâ obtinuit. Sic enim is, qui ejus vitam ad Felicianum Fulgentii successorem scripsit, memorat: *Celebrata sunt eodem die, quo super cathedram collocatus Fulgentius, divina solenniter sacramenta, & de manu B. Fulgentii communicans omnis populus lætus abscessit.* Militat pro nobis publica fidelium quotidie communicandi consvetudo, cujus adhuc meminit Augustinus, nec videtur improbare. Gennadius verò Massiliensis, qui sub finem seculi quinti vixit, in decantatis illis verbis, quæ sub Augustini plerumque nomine Magister Sententiarum, & Thomas Aquinas & utriusque commentatores recitant & fusè interpretantur, nec laudat, nec probat. Nihil igitur Hardingum, Bellarminum, & quoscunque alios ejusmodi congesta exempla adjuvant: nullo enim negocio, quicquid afferunt, diluitur.

Hom. 37. in Evangel.
L. 9. Confess. c. 12.
Cap. 17.
Ep. 118. & lib. 2. de sermone Domini in monte.
De dogm. Eccl. c. 35.
4. Dist. 12.
Part. 3. q. 80. art. 10.

LXIV. Græci tamen post annum communicabant, inquiunt, ut Augustinus & Ambrosius testantur. Qui igitur fieri potuit, ut nullæ solitariæ missæ fierent? sunt qui Ambrosii libros de sacramentis in dubium vocent: sed nulla nos cogit necessitas, ut huc confugiamus. Chrysostomus ipse alios semel in anno, alios bis, alios ter ad τὴν φρικωδεστάτην τράπεζαν accedere narrat: eos verò, qui in eremo degant, semel singulis annis, imò toto biennio hoc se salutari cibo pascere molestè fert. Quid vetat, de his Augustinum & Ambrosium esse loquutos? De omnibus enim Græcis sermonem ijs esse, opinari stolidùm est, quum ex liturgijs græcis, & Socrate & Sozomeno scriptoribus græcis aliud liquidò constet. Accedo ad Paulinum

Part. 3. Theol. Schol. tr. 2. c. 25. p. 1. q. 19. de quo Becanus: *Multi initiabantur sacris sine ullâ curâ animarum, qui proinde non poterant alijs sacramenta administrare. Talis fuit S. Paulinus Nolanus, ut de se scribit in epistolâ sextâ ad Severum.* Optat synodus Tridentina, *ut in singulis missis* Sess. 22. c. 6. *fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione cõmunicent, quò ad eos uberior hujus sanctissimi sacrificij fructus perveniat.* Irritum hoc votum & imprudens, si Becani judicio standum est. Quantus enim & quàm ingens, quod ipse Dominicus à Soto alicubi queritur, numerus est simplicium sacerdotum, & eorum, quibus nulla animarum cura concredita. Tract. 2. c. 25. p. 2. q. 1. Hos tamen Becanus ipse statuit *teneri sub peccato mortali ad sacrificandum aliquando & aliquoties, nisi aliquo legitimo impedimento excusentur*, tum alias ob causas, tum *quia id præceperit Concilium Tridentinum.* Si hic ingens sacerdotum numerus, quando rem divinam facit, non potest aliis ministrare sacramenta, profectò irritum & absonum est votum Tridentinorum, optantium ut in singulis missis fideles adstantes communicent. Dein apprimè fallitur Becanus, quòd Paulinum non potuisse alijs Eucharistiam administrare existimat. Ep. 6. ad Severum Sulpitium. Verba Paulini sic habent: *Eâ conditione in Barcinonensi Ecclesiâ consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus. Veni igitur, si placet, ante Pascha, ut sacras ferias me sacerdote concelebres.* Me sacerdote, inquit, id est, ea quæ sacerdotis sunt peragente inter quæ sacramenti administrationem fuisse quis ausit negare?

LXV. Aurelianense IV, Agathense & Elibertinum concilia nonnihil adhuc facessunt negotij. Can. 28. Aurelianense sancit: *De missis laicorum nullus antè discedat, quàm dominica dicatur oratio. Et si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio exspectetur.* Agathensis concilij canon XIV. hic est: *Missas die dominicâ secularibus tenere speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* Idem fermè est canon XLVII. Multus est Salmasius in his synodi Agathensis canonibus à falsâ Dionysij Petavij, qui eas pro missis privatis adducit, interpretatione vindicandis. Quid verò juvat Pontificios, quòd concilium dicit, quosdam non exspectatâ benedictione sacerdotis, sive ultimâ oratione, quæ clausula erat sacræ actionis, exisse. Hinc quidem liquet, ardorem, qualis in primis fuerat Christianis, in multorum animis plurimùm refrixisse. Id nos quoque non sinit ignorare Cæsarius Arelatensis, cujus ætas in sextum seculum incidit, ex cujus homiliâ XII, ait Salmasius, constat multos eo tempore fideles synaxi intervenisse, quando divinæ lectiones tractabantur, ubi verò hora munerum offerendorum, & corporis & sanguinis dominici consecrandi adesset, solitos dilabi. Verba Cæsarij leguntur quoque apud Causabonum. Hâc mul-

multorum socordiâ fortè moti sunt Patres concilij Toletani IV. ut benedi- Exerc. 16.
ctionem populo ante communionem impertiendam censuerint. Sic enim num. 48.
constituunt: *Nonnulli sacerdotes post dictam orationem dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant; quod deinceps interdicimus; sed post orationem dominicam, & conjunctionem panis & calicis benedictio in populum sequatur & tum demum corporis & sanguinis Domini sacramentum sumatur, eo ordine, ut sacerdos & Levita communicent ante altare, in choro clerus, extra chorum populus.* En communio sacerdotis, diaconi, cleri & populi. Nihil igitur interest, si quosdam exiisse constet. Neque enim inde evincetur, nullos fuisse reliquos, qui communicarent. Cap. 17.

LXVI. Synodus tamen Agathensis sanxit, *seculares, qui in natali Domini, Pascha, Pentecoste non communicaverint, non esse inter catholicos habendos.* Quis verò paullò prudentior inde missas solitarias probaverit? Non prohibet Synodus seculares alijs diebus ad mensam Domini accedere, sed negligentiores, ut si non pluribus, his saltem diebus accedant, compellit. Idem esto judicium de simili decreto, quod Fabiano Pontifici Romano & martyri apud Gratianum imputatur, in epistolis tamen, quae eidem tribuuntur, non exstat. De quo digna adscribi verba Matthaei Galeni. *Gregorius Magnus lib. II, Dial. c. XXV, in vitâ Benedicti testatur etiam tum coactos fuisse communicare, quotquot intererant sacrificio. Quapropter mendum reor, quòd in decretis istud adscribitur martyri Fabiano, quasi is laicos jusserit diebus Paschatos, Pentecostes & natalis Domini communicare. Nam si ad Gregorij Magni tempora mos ille quotidianus pene communionis obtinuit, certum est, multò id religiosiùs à primis illis Christianis & martyribus observatum: & ut errorem magis videas, Burchardus lib. V. cap. XVII. tribuit illud Silverio.* Hæc Galenus. Nolo plura vel ex ipsâ, quâ hodie utitur Romana Ecclesia, Liturgiâ, vel ex veteri ordine Romano, alijsq; Liturgicis scriptoribus huc congerere: nolo quidquam vel ex Humberto Silvæ Candidæ Episcopo, (quem Genebrardus ait *videri annuere opinantibus sacrum non esse legitimum, nisi peractâ consecratione omnes simul communicent,*) & alijs huc afferre. Id unum moneo, seculo nono non obscura adhuc antiquæ consvetudinis exstare vestigia. Sic enim Anastasius in vitâ Hadriani apud Baronium: *Hadrianus fecit patenam & calicem in basilicâ B. Petri Apostoli, in quotidianis ministeriis ex auro purissimo pensantes simul libras xxiv.* Quid tantæ capacitatis calix & patena ad quotidiana ministeria, si nulli quotidie communicarunt? De in Aquisgranense concilium, Gregorio IV. Pontifice celebratum canonem Antiochenum repetit. Nicolaus in responsis ad consulta Bulgarorum disertè: *Corporis & sanguinis Domini quotidie in quadragesimâ majori si deberetis communicare, consulitis; quod ut fiat Dominum* Catech. 143. Præfat in Liturg. Præsanctific. Anno 795. Cap. 9.

omni-

omnipotentem suppliciter exoramus, & vos omnes vehementissimè exhortamur. Et paullò post: *Verum de hoc & de his, qui ecclesiam quidem intrant, nec tamen sacrâ oblatione communicant, sacri canones fortè sufficienter enunciant — Interim tantùm Quadragesimâ, quam mos Ecclesiæ maiorem appellat, omni est die communicandum.* Ita medio seculo nono censuit Nicolaus primus. Hæc afferre libuit, ut constaret, quàm temerè hodiernæ Romanæ ecclesiæ doctores, qui non immeritò haberi debent omnium novatorum maximi, ad primæ illius martyrum & sanctorum JESU Christi Ecclesiæ tribunal appellent, & nostras Ecclesias pessimo novitatis crimine oneratas traducant. Quid missis solitarijs in Romanâ Ecclesiâ frequentius? Quid autem universæ antiquitati magis vel ignotum, vel adversum?

LXVII. Quid igitur reliquum est, nisi ut nostris Ecclesiis de assertâ libertate & eliminatis corruptelis impensè gratulemur, summos verò Romanæ Ecclesiæ præsides, ut tandem scissæ in tot partes Ecclesiæ misereri, & novitatibus antiquitatem præferre velint, obtestemur. Si tamen obtestando proficere vel obtinere quicquam possemus. Nos institutionem, præceptum & prototypum Christi huicque conforme totius priscæ ecclesiæ exemplum sequuti abrogatâ illâ sine communicantibus celebrandi consvetudine benedictum panem & calicem distribuimus, missasque solitarias improbamus. Quid verò illi? neglecto Servatoris præcepto alia quædam requirunt, quæ etiamsi ad decorem facerent, & verè sint ἀδιάφορα, quia tamen iis affingitur necessitas, superstitiosa meritò censentur. Si enim desint, non sine scandalo & peccato sacrificium ajunt offerri. Interim distributio sacramenti, quam Christus verbo & facto observandam præcepit, & tota antiqua ecclesia in omnibus publicis conventibus retinuit, etiamsi in plerisque missis negligatur, eæ tamen omnes legitimæ & Christi institutioni conformes prædicantur. Audiatur Martinus Becanus: *Altare lapideum consecratum,* (quum tamen tota antiqua ecclesia tribus seculis & diutius ligneis usa sit mensis,) *ita est necessarium, ut in eo non possit dispensare Episcopus, neque Pontifex legatur unquam id fecisse, licet ipse facere possit: lumen verò, seu lucerna aliqua ardens, ut sine eâ celebrare, semper sit peccatum mortale* Et Johannes Chifletius JCtus libro de Eucharistiâ reis non negandâ: *Ecclesia ob sacramenti reverentiam permittit potiùs hominem mori absque viatico, quàm sacerdotem sine sacris vestibus celebrare ad consecrandam hostiam, quæ illi moribundo ministretur.* Qui non animadvertit isto perverso agendi modo humanæ ἐθελοθρησκείας inventa divinis sanctionibus præferri, næ ille nihil intelligit. Quæ verò vel qualia sunt illa? *ut consecretur in altari tribus mappis cooperto, ut adsint luminaria cerea, ut nihil*

Part. 3. tr. 2. c. 25. part. 2. q. 7.

Cap. 7.

nihil omittatur ex vestibus sacerdotalibus, ut hæ & mappæ sint ab Episcopo benedicta, ut adsit calix cum patenâ conveniens, cujus cuppa debeat esse argentea vel aurea, vel stannea, non ærea vel vitrea, ut corporalia sint munda, & ex lino, nec serico in medio ornata. Qualia, inquam, sunt illa? ludicra sanè præ eo, quod Christus sanxit, ecclesia antiqua observavit. Illa tamen videas apud Pontificios religiosè à minimis maximis servari; hoc profano ausu negligi.

LXIIX. Excussimus hactenus & ob oculos posuimus consensum antiquitatis: videamus etiam ex præscripto Vincentii Lirinensis universitatem, non quidem primæ & priscæ ecclesiæ, de quâ egimus, & constat, nec potest dubitari; sed ejus, quæ adhuc in terris militat, & per totum terrarum orbem diffusa est, quâ ad convincendos diffidentes nihil putat esse accommodatius & efficacius Gentianus Hervetus. Cap. 3. Præfat. in Expos. Liturg. Nicolai Cabasilæ.

LXIX. Ritus ecclesiæ Græcæ per totum Orientem & per Occidentem latissimè diffunduntur. Usus hoc testimonio jam olim Philippus in Apologiâ. *In Græcis parochiis*, inquit, *ne hodie quidem fiunt privatæ missæ, sed fit una publica missa, idq; tantùm dominicis diebus & festis. In monasteriis fit quotidie missa, sed tantùm publica.* Cochlæus his se nihil moveri ait, tum quòd schismatici sint, tum etiam quòd non sui juris sub Turcis degant. Idem ferme Genebrardus: *Græci hodie, propter tyrannidem Turcarum opinor, unam duntaxat missam in singulis ecclesiis dicunt, vixq; aliis quàm dominicis & festis diebus.* Præf. in Lit. Præsanctif. Sed quare dicatur servitus eos impedire, quum nec ante amissam libertatem aliter egerint? Cassander ex libello Bartholomæi Georgevvitz de ritibus Græcorum affert, *in magno numero sacerdotum non nisi unum sacra missarum obire, reliquos se pro ministris gerere.* Hodie quoque nullas dum esse in Græcâ ecclesiâ missas solitarias vel inde constat, quòd Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censurâ articuli Augustanæ confessionis de missâ, ubi disertis verbis missæ privatæ oppugnantur, quod missam attinet, nihil admodum improbet, sed ipse potiùs dicat, *οἱ εἰς πορισμὸν ἔχοντες τὰς λειτουργίας, κακῶς ποιοῦσιν.* Apud Petrum Arcudium Corcyræum de concordiâ orientalis & occidentalis ecclesiæ in septem sacramentorum administratione, libro tertio, ubi agit de sacramento Eucharistiæ, altum hac de re est silentium. Quid tamen fiat, obiter indicare videtur cap. LX, ubi ex Liturgiâ Græcorum hoc affert: *Sacerdos postquam propria & sacri poculi labra velo, quod præ manibus habet, abstersit, vocat Diaconum, videlicet ad participandum calicem.* Hæc verba innuunt dispensationem in missis Græcorum fieri solitam. Rutheni, Syri, Georgiani, Armeni sequuntur fere ritu ecclesiæ Græcæ. Accedo igitur summo viro Gerardo Johanni Vossio scribenti: *Ad hæc usq;*

Disp 5. de symbol. sacris cœnæ dominicæ th. 2. *tempora panis fidelibus distribuitur in Liturgiâ Græcâ, atq; adeo etiam Syrâ, Armeniâ, Æthiopicâ, ac nisi valde nos fallit, sola est ecclesia Latina, quæ ab hoc veteris ecclesiæ ritu discessit.*

Disp. 214. c. 3. LXX. Æthiopicam Ecclesiam quod attinet, res manifesta est. Non defuerunt, teste Vasquio, qui contra Abassinos decreta existimarent, quæ concilium Tridentinum de missis privatis constituit: Æthiopicæ ecclesiæ consvetudinem laudat luculentis verbis Christophorus Madridius Jesuita, libro de frequenti communione, quæ, quia notatu apprimè digna, hîc appono; Gap. 4. *Ab Apostolorum temporibus manasse, & usq; ad hanc nostram ætatem durasse consvetudinem illam censemus, quam receptam summâ consensione & perpetuâ religione retinet servatq; antiquissima Ecclesia Æthiopica. Est enim in eâ mos, sicut & quidam scribit, & nos à gravissimis viris accepimus, ut quicunq; ad sacrificium missæ audiendum conveniunt, ad unum omnes sacram communionem semper accipiant.* Et pòst: *Ac ne quis falsò existimet apud hos populos rarò fieri sacrum, unde mirum non sit, si præsentes semper in eo communicent, ille idem autor, qui cum multis Occidentalis Ecclesiæ sociis oculatus testis fuit, & hæc memoriæ prodidit, refert, apud eos hoc esse in more positū, ut quotidie in singulis ecclesiis vel cœnobiis una tantùm missa celebretur, ad quam, quicunque conveniunt, sacram synaxin percipiant. Unde hunc frequenter communicandi usum antiquissimum esse, & ab ipso Apostolorum tempore usq; ad nostram ætatem in Æthiopica ecclesiâ servatum fuisse intelligimus: in aliis verò ecclesiis ad multa tempora durasse, ex Anacleti & Hieronymi supra productis testimoniis satis nobis probasse arbitramur.* Abassinis in plerisq; consentire ajunt incolas insulæ Socotaræ. Christianos in Indiâ, potissimùm verò Cranganore ex Thomæ Apostoli disciplinâ, ut ajunt, superstites calicem quibusvis communicantibus præbere testatur Hieronymus Osorius: hujus nostræ rei non meminit. Non tamen dubiū, quin eandē cum Abassinorum & Orietaliū ecclesiis consvetudinē sequātur.

LXXI. Sed quid his immoror? Objiciet fortè Pontificius, quidquid sit de talibus, missas solitarias improbari non posse, si Eucharistiam sacrificium propriè & strictè dictum esse constet. Lib. 2. de missa c. 9. *Ad sacrificium enim, ut sacrificium,* inquit Bellarminus, *nihil refert, si multi vel pauci vel nulli intersint aut communicent, quum sacrificium offeratur Deo pro populo: potest enim sacerdos pro populo offerre, etiamsi populus nec adsit, nec communicet.* At verò ne hoc quidem, universaliter præsertim acceptum, videtur usquequaq; esse certum. Ad agnum enim Paschalem manducandum, qui typus hujus ἀναιμάκτου θυσίας, plures conveniebant. Servator ipsè oblato, ut volunt, in ultimâ cœnâ sacrificio discipulos adhibuit. Tota denique antiqua ecclesia, etsi in omni Eucharistiæ administratione offerret sacrificium, ut ajunt, attamen presbyteris, ut soli rem divi-

nam

nam facerent, numquam concessit. Nolo tamen id nunc urgere. Ponamus sacrificium ab uno & solo sacerdote posse peragi: sed illi probent & ostendant formalem & propriam sacrificii propriè dicti rationem in Eucharistiâ inveniri. Huc enim tandem redit, quidquid multis magnisq; voluminibus ex Scripturâ & veterum scriptis de sacrificio magnâ animi contentione disceptatur. Memoriam & symbolum peracti in cruce sacrificii, quod eodem recidit, memorativum & repræsentativum sacrificium hîc esse, nos cum antiquis omnibus & multis magnis viris agnoscimus; sed propriè dictum & ex intrinsecâ formalique sacrificii ratione æstimatum uti nullum hîc deprehendimus, ita quoq; nullum admittere possumus. Doctores adversæ partis nulli ferme inter se conveniunt, quod haud obscurum falsitatis & novitatis indicium. Delectat autem candor Matthæi Galeni, qui, quantâ cum difficultate hîc conflictetur Romana ecclesia, ingenuè fatetur. *Si Tridentini*, inquit, *obscurissimam definitionis sacrificij quæstionem illustrassent, adversariis & scholis orthodoxis meliùs consultum videretur. At nunc tantùm abest, ut id sperare possimus factum, ut (si fas est dicere) simus deinceps iniquiore loco pugnaturi. Poteramus enim hactenus adversariis præscribere ex vocibus attributis nostro sacrificio, & Patrum testimoniis, vel uti Augustini definitione; vel postremò fateri hoc nostrum sacrificium esse quidem improprium, non tamen illud nomen malè retinere, cùm sit primi illius sacrificii Christi imitatio.* Cat. 134.

LXXII. Nihil autem vetat, quin Bellarmini verbis parum immutatis nos quoq; utamur. *Si adversarij concederent, missam solùm esse sacramentum, sacrificium, verò impropriè tantùm dictum, fortasse in hac re facilè convenirent.* Sunt magni viri, qui id fateantur. Vasquez Disp. CCXIV. c. III. *Sanè si hoc sacramentum non ut sacrificium à sacerdote offerretur, specie aliquâ probabilitatis Lutherus missas privatas abrogasset, quòd missa hoc ipso, quòd sacramentum tantùm esset communionis, ab omnibus adstantibus, aut ab aliquibus re ipsâ participari deberet.* Huc ergo res redit, ut Pontificii, qui in Eucharistiâ sacrificium propriè dictum esse juxta doctrinam concilii Tridentini credunt, formalem rationem sacrificii hîc ostendant. Ignoscant autem, quòd assertionibus probatione destitutis assensum non præbemus. Et quum sacrificium propriè dictum in Eucharistiâ nullum sit, non potest ideo missa solitaria publica vel communis censeri, quòd in eâ sacrificium cōmuniter & omnibus profuturum offeratur. Offerebant quidem antiqui in suis Liturgiis sumo numini preces ꝑ fidelibus omnibus, non modò vivis, verùm etiā defunctis; sed preces non sunt sacrificia strictè & ꝓpriè dicta, quamvis precibus hic factis Deum ꝑ mortem Filii sive sacrificiū in cruce oblatum, hic a. peculialiter cōmemoratū, orabant & Lib. 2. de missa, c. 9.

 obte-

obtestabantur. Neque sic consummabatur Liturgia; finis erat communio: huc omnia demum redibant. Instat Pighius, immeritò Ecclesiam Romanam à nobis reprehendi, qui ipsimet privatas missas celebremus, quum apud nos uni plerumque ægro sacerdos τὸ πολύτιμον καὶ ἀναγκαιότατον ἐφόδιον tradat. Privatam utique, quod locum quidem attinet, admitto; solitariam non agnosco, id est, à sacerdote absque alterius communione peractam. Valeant itaque qui nos novatores identidem appellitant: nos enim quod Christus egit, ecclesia prisca observavit, universa hodie præter Romanam retinet, sequimur.

LXXIII. Gratulemur autem nobis quòd duce & auspice B. Luthero apud nos prava ista solitarias celebrandi consvetudo superiori seculo fuerit abrogata. Primi omnium anno ejus XXI. Wittembergæ monachi Augustiniani, (ad quos exstat Lutheri de abrogandâ missâ privatâ liber) cœperunt intermittere. Horum exemplum sequuti sunt alii plurimi, ut tandem per Germaniam, Daniam, Sveciam, Norwegiam, aliasque provincias genuinus & divinæ institutioni congruus celebrandæ Eucharistiæ ritus obtinuerit. Adeo autem superstitio invaluerat, ut Alexander Alesius ad Jacobum V. Scotiæ regem scribat, *vidisse se literas magnâ autoritate scriptas à Franciscanis, in quibus pollicеantur cuidam principi viventi octoginta millia missarum, mortuo autem duodecies centum millia.* In Angliâ anno XLIIX. missa publico decreto abrogata: retentæ tamen pleræque ceremoniæ, mistio calicis, communio sacerdotis, aliæque, ut constat ex ordine distributionis sacramenti altaris eo anno Londini edito. Anno XXX. Protestantes in confessione Augustæ Carolo V. exhibitâ abrogati hujus abusus rationem reddiderunt: quem tamen abolitum Cæsar & principes molestè videntur tulisse. Rectiùs Ioh. Hofmeisterus: *Publicam missam prorogandam volunt saniores.* Exstat *Bernardi Letij Hadamarij, seu Gerardi Lorichij Adamarij collectio trium librorũ Racemationum Brunonis Seillij de publicâ missâ prorogandâ*, dudum atro carbone in indice expurgatorio notata. Anno XLI. habitum colloquium Ratisbonense inter delectos Theologos ab utraque parte. Pontificii fuerunt Phlugius, Gropperus, Eccius. Oblatus Theologis à Granvellano liber, *quem Cæsari dicebat esse traditum à viris quibusdam bonis atq; doctis velut idoneum ad futuram conciliationem.* Ejus libri articulo XXI. hæc leguntur verba: *Sunt ex unâ parte, quib⁹ missam peragi non debere persvasum est, nisi adsint qui cum sacerdote sacrificante sacramenti corporis & sanguinis sumtione communicent. Hunc fuisse veteris Ecclesiæ morem adstruunt.* Hujus sententiæ fuisse Phlugium & Gropperum indignatur in Apologiâ contra Bucerum Eccius, & vix sibi id persvaderi posse ait.

Ind. Romano Urb. 8.

Sleid. l. 13.

Ab